

In diuini Platonis Phæ-

292.

5

DONEM , Q VI TRACTAT DE A-
nimis immortalitate, scholia compendiosissima, suo
more, ex varijs philosophorum spatijs, colligebat
Matthæus Frigillanus Bellouacus.

AD NOBILISSIMVM SIMVL ET SAPIEN-

TISSIMVM D. ANTONIVM
DE MONCEAVX.

HVC ACCES SIT VERA ET PLANE
philosophica consensio inter Aristotelem & Ciceronem de iis quæ
ad artem Topicam pertinent. Collectore eodem Frigillano.



P A R I S I I S,

E typographia Oliuarij de Harfy ad Cornu Cerui in
clauso Brunello. Et Thomam Brumennium,
sub Oliuæ signo, è regione ædis
D. Hylarij.

1560.

CVM PRIVILEGIO.

Illustra Deus oculum X
- 64 -



293.

MATTHAEVS FRIGILLANVS SAPIEN-
tissimo & nobilissimo D. Antonio de Monceaux
bene agere.

VT est in ~~πειστικα~~ Xenophontis (veræ nobilitatis & sa-
pientiæ integrum decus) quod certè non omnino ne-
glexit Quītilianus, solet viris eruditis grata esse ἐνκυλωπαιδεῖα
quæ hodie vel in te, vel in nullo mortalium relucet. Ef-
flagitant pleriq; viri non alieni a bonis musis, vt tui Frigil-
lanii lucubrationes, etiam si tenui oratione & scriptura leui, in
lucem proferantur. Hæc efflagitatio apud me non satis po-
tuit, Tua vero planè diuina in viros sapietiæ cupidos benevolen-
tia, non potuit non persuadere. Itaq; vnum id rogo, vt ve-
stræ domus antiqua pietas, veræ nobilitatis vera comes, quam
ego iunior satis expertus sum, tua miranda sapientia, tuus in
omnes studiosos benevolus animus, huic opusculo addat non
nihil authoritatis.

Ad immortalem de animi immortalitate. Bene vale.

Dionisij Vigerij Par. ad lectorem
Epigramma.

Vis sophiæ quæ sint insignia dogmata, nosse?
Mentis & humanæ robora nosse cupis?

Vis disceptandi Topicas dignoscere leges?
Tullius anne sopho distet Aristoteles?

Perlege quæ scriptis Mandauit nostra Frigilla:
Atq; acie præsens voluito mentis opus.

Hic vires animi quæ sint, mortalia fata
Artificis Summi munere, nulla docet.

Hic & Aristotelis Topicæ consensio, quanta
(Quod pleriq; negant) cùm Cicerone docet.

DI A LOGORVM Platonis quidam sunt physici ut Timaeus, quidam logici ut Cratillus, quidam morales ut de Republica & de legibus, quidam permixti ut hic Phaedo, qui partim est naturalis partim moralis. Nam quatenus rationibus ex natura penetrabilibus de promptis demonstratur animi humani Immortalitas ad naturale disciplinam pertinet: Exhortatione vero ad virtutem, ad constantiam, ad mortis contemptum & ad animorum purgationem nemo ignorat referendam esse ad scientiam de vita & moribus. Rursus eorum, quida positi sunt in narratione & explicatione sententiae cuiusdam grauiissimi autoris, quidam in interrogandi & tentandi studio, quidam mixti, hic Phaedo in tertio ordine habendus est, cuius sex sunt principia capita: Primum complectitur integrum narrationem mortis Socratis: Alterum satis aperte declarat quodnam sit viri philosophi verum munus, & quanam sit sincera philosophia: Tertium est de morte spote suscipienda: Quartum de purgandis animis: Quintum de ipsorum immortalitate, ubi copiosa digressione contendit Socrates scientiam non esse aliam a reminiscetia: Postremum est de premiis & suppliciis post hac vitam recipiendis. Ex multiplici autem fructu qui ex hoc dialogo percipi potest hunc uberrimum obseruabis, quod demonstrata animi immortalitate mortis metus morbus omnium grauiissimus expellatur. Nam animus humanus morali & speculativa disciplina per intellectum & voluntatem purgatus us quasi duabus aliis in celeste patetiam reuolat. Occasio dialogi fingitur, partim ab Echecratis studio & amore Socraticae disciplinae, partim a narratione Phaedonis philosophi elydensis qua explicatur mens Socratis.

A iij

IN PHAEDONEM PLATONIS,

P S E N E O P H O E D O) Echecrates
ciuis Phlyasius Socratice disciplinæ studiosissi-
mus sua interrogatione & descendit cupiditate huic
dialogo primam occasionem affert, qua innuit Plato non esse
huc intromittendos qui a bonis musis sunt auersi.

O P H O E D O) Non intelligas illum ciuem athenensem
qui a triginta tyrannis in conuiuio est interfactus, & cuius fi-
liae ne virginitas violaretur in puteum se se præcipites dede-
runt, Sed alium ciuem Elidensem nobili familia natum, quita-
men aduersa fortuna seruilem conditionem subire sit coactus,
quem Sebes Socratus emit, cumq; in philosophorum discipli-
nis nutriuit.

Q V A D I E S O C R A T E S) Socrates septuaginta
annos natus mortuus est anno a constitutione mudi ter mil-
lesimo quingentesimo sexagesimo quarto, qui est annus primus
olympiadis nonagesimæ quintæ & trigesimus quinquage-
simus tertius ab urbe condita. Eius verba in Apologia sicha-
bent, venio nunc primum in iudicium plus quam septuaginta
annos natus.

V E N E N U M b i b i t) Quod hic venenū dicitur, Plato
dixit Φάρμακον ύστις vocabulo quo & venenum & medica-
mentum significatur, quo fortasse voluit innuere Plato eius-
modi potionem corpori quidem fuisse venenosam, animo vero
ad superos viam accelerasse. Cæterum hoc loco nomine vene-
ni intelligitur cicuta, cuius tanta est frigiditas, ut calorem nati-
uum extinguat ac tandem nimia refrigeratione morte afferat.
I N C A R C E R E) Ut colligere licet ex Apologia, du-
plices fuerunt accusatores Socratis, nonnulli, inter quos nume-

S C H O L I A .

295.

rabatur Aristophanes, eum reprehendebant, quod nimis curiosus exquireret quæ sub terra latent & quæ in cœlo degunt: aliorū vero inter quos Melitus, Annitus & Lycon, accusatio sibi habet. Socrates iniuste agit iuuentutem deprauans, ac deos quos ciuitas putat ipse non putans: iis duabus accusationibus in carcerem detrusus est, ac tandem venenum bibt.

Q V A E N A M S V N T E A) Syncere philosophatum vita aliud nihil est quam perpetua mortis commentatio, proinde Echecrates Socratis disciplinæ studiosissimus maxime expedit certior fieri de constantia Socratis in morte, & de eius ultima tanquam Cygnea cantione.

P H L Y A S I O R V M C I V I V M) Phlyus est vrbis in medio sicyonii & Archini capi, cuius meminit Cicero. s. tusculana, ubi scribit Pythagoram venisse ad leontem Phlyasiorum principem, illicque se non sophum sed philosophum dixisse.

E T A D M I R A T I P R O F E C T O) Occasio prolixioris narrationis, cuius bona pars habetur in Crytone, reliqua hic subiicitur, qua aperte indicat Plato quæ fuerit antiquitatis consuetudo in illis puniēdis qui erāt rei capitīs. Nā quo tempore ad Apollinem in Delum insulam triremis mittebatur in memoriam conseruati Thæsei non licebat quemquā capite punire.

S O R T E Q V A D A M I D) Nomine sortis fortasse intelligit diuinam prouidentiam, qua factum est ut Socratis syncera illa cantio longius prorogaretur.

N A V I S E I V S) Huius nauis meminit Plutar chus in opusculo Anseni gerenda sit Respublica his verbis, Demostenes de Atheniensium Triremi, quam παρελθον vocant, dixisse fertur, eam indigne tractari cum Midia ligna

A iii

8 IN PHAEDONEM PLATONIS,

vallum & commeatum conuehit.

H A E C E S T illa nauis) Quemadmodum instauratio triplicis substantiae fluentis non impedit quominus sit idem numero animal, quia semper eadem est forma, ita etiā si sepius eadem nauis resarciantur non desinit esse eadem.

I N Q V A Thæseus oī) Hystoriae, fortasse fabulosae, tradūt huius instituti primam causam fuisse taurum maratiniū, qui Herculis vinculis liberatus Androgeū filiū Minois interemit. Existimans Minos huius rei causam præbuisse Athenienses: ius sit ut quotannis septem filios totidemque filias mitterent in nutritionem Minotauri.

I N D E L V M spectaculū) De Delois insula, in qua Latona Apollinem & Diana peperit, vide Ciceronem actione tertia in Verrem: Inde enim licebit colligere quanta eius religionis fuerit autoritas.

A P O L L I N I S sacerdos) Hinc agnosce etiā Athenienses Apollini sacra fecisse.

Q V A E N A M sūt ab eo) Observatio decori. solemus enim plus autoritatis tribuere dictis eius qui iamiam e vita discessurus est.

A N F O R T E magistratus) Hoc dictū in iudices tyrannos.

P E R M I T T E B A N T quidem) Quia athenienses sub Palladis tutella degētes a musis non omnino erant alieni, proinde iudices summo & tyrannico iure non agebant cum Socrate.

O C I O S V S equidem) Verum ocium philosophi est ea pertractare quæ plane sunt philosophica.

Q V I P P E cum meminisse) Artificiosa comparatio attentionis a summa oblectatione, quam ex sermonibus Socrati

ticis percipere solent, qui philosophandi studio flagrant.

A T Q V I mira quadam) Ex constantia & sermone viri philosophitam syncera animi oblectatio nascitur, ut summi amici mors, etiam presentissima permouere non poscit.

T V M A N I M I illius) Due causæ quibus Socrates videbatur fælix è vita discedere.

A D E O intrepide) Hinc collige quanta sit vis syncera philosophiae.

Q V A M O B R E M neque) Philosophiæ studium ad leniendos dolores, deponendasque animi molestias magnū adiumentum affert: non tamen videtur habere satis virium ad omnino tollendam eam perturbationem, quæ ex mortis cogitatione nascitur: itaque in verò philosopho eiusmodi affectus, doloris & voluptatis permixtione, temperatur.

S E D quoniam forte) Hęc quæstio proponitur ut maior fides maiorque autoritas narrationi tribuatur: cōmemorat autem tum indigenas tum aduenas ne non satis magna sit vnius partis autoritas: commemorat etiam medicos, sophistas, & mathematicos, ut innuat futuram disputationem omni hominum generi utilem esse.

S I M M I A S, Thebanus & Gebes) Hi tres, ut scribit Plato in Critone, pecuniam attulerant, ut Socratem redimerent: sed, ut post Platonem commemorat Cicero prima tusculana, Socrates paucis diebus ante mortem cum facile posset educi e custodia, noluit.

S O L E B A M V S enim) Fidei & autoritatis amplificatio ab aſidua tot animorum, præſertim philosophorum, præſentia.

E O A V T E M A P E R T O) Neglectis cæteris negotiis vix a sermonibus philosophicis discedunt, qui musarū

IN PHAEDONEM PLAT.

numinibus sunt afflati
NAVEM EX DELO) Non solum hoc loco sed etiam
in Critone testatur Plato Socratem extinctum fuisse peracto
festo, quod a ferendis ramis ἀστυχοφειλῷ ἐορτῇ græcis dicitur,
quod instituerat Theseus in honorem Apollinis cuius beneficio
arbitratur se cum sociis liberatum a minotauro.

V N D E C I M V I R I) De undecim viris verba Pollucis
sic habent: Decem viri singuli a singulis tribubus eligi solebat,
quorum numerum augebat scriba, quorum erat officium fures
conuicere, carcere detentos iudicare, plagiarios, græsatores &
indumentorum suppilatores criminis conuictos pena afficere.
D E D V C A T quis hanc) Observa mirum Platonis arti-
ficium, quo omnibus ob oculos ponit miram Socratis con-
stantiam in releganda uxore, in negligenda orbitate filiorum, & in mor-
te cōtemnenda. Ceterū de suis liberis in apologia ita loquitur
Socrates: Cognatos habeo (o viri Athenienses) & filios tres,
quorum unus iam adolescit, duo autem sunt paruuli: In fine
autem eiusdem apologiae iudicibus eos ita commēdat. Vos pre-
cor (o viri Athenienses) ut meos filios cum adoleuerint, si ipsi
similiter atq; ego vobis molesti sint, similiter pœnis afficiatis.

Pars Secunda dialogi

V A M mira videtur) Hac secunda parte dialogi
hec potissimum explicanda sibi proponit Plato quis
sit verus philosophus, quæ vera philosophia, cur phi-
losopho mors sit expetenda, quænam sit illa mors, præterea si phi-
losophus debeat mortem expetere, quamobrem eam sibi cōcī-
cere non debet. Initium tractationis sumitur a natura voluptati
& doloris, quæ vt tradit in Timo omnium perturbati-

onum sunt prima & summa capita, quæ philosophus moralis virtutibus & vitiis tanquam uniuersam materiam proponere solet.

HOMINES voluptatem) Finis hominis triplex est, primus conseruatio individui, alter perfectio partis praestitoris, tertius conseruatio & perpetuitas speciei quibus finibus tanquam fædis aut laboriosis certam quandam voluptatem proposuit sapientissimus artifex, primo quidem voluptatem singularum sensuum & maxime gustatus ex alimento, alteri oblectationem ex intellectione & sapientia, cuius finis est beatitudo, tertio vero voluptatem ex re venerea.

QVASI ex eodem vertice) Omnis animi perturbatio videtur profici sci ex defectu veri usus rationis, ideo recte asserit voluptatem & dolorem ab eodem vertice promanare: ita tamen ut voluptas sit ex perceptione rei naturæ conuenientis, dolor vero ex persensione rei noxia.

ARBITRO equidem) Ex hoc loco licebit colligere Aesopū apud veteres magno in precio fuisse, hac potissimum ratione quod fabulas seu apologetos scripsérunt quibus continerent ea pene omnia quæ ad vitam & mores pertinent.

SIVIDE modo crus) Si superficie tenus Socratis dicta consideres, videbūtur intelligenda de dolore ex viculis. & voluptate ex amicorum presentia: si vero penitus, agnoscēs ipsū intelligere solutionem animi a corpore. Nam vix unquam omni dolore liberatur animus, dum est in corporis custodia.

PERIOVEM inquit) Non solum hoc loco sed etiam in Theage & in Phædro testatur Plato Socratem cuiusdam dæmonis opera usum, a quo res futuras doceretur, cuius

IN PHAEDONEM PLAT.

88
dæmonis nomine Lactantius & diuus Augustinus intelligunt vnum ex illis infestissimis hostibus quos cacodæmonas appellamus, Platonici vero præclarâ vi animi qua ipse Socrates prudenter cuncta gerebat & prouidebat. Ceterum quod Socrates Æsopi apologetos carminibus scripsit, significat non esse officium viri prudètis quicquam excogitare, quod veritati non sit consentaneum.

Q V A M O B R E M primo) Huius etiam proæmij in laudem Apollinis meminit Laertius in vita Socratis.

N O N E S S E fabulatorem) Existimat Plato alienum ab officio philosophi quicquā configere. Nā scire est rem per causam cognoscere, eam vero fictione non satis agnoscent qui erudiendi traduntur.

N O N N E philosophus) Vult innuere Plato syncera philosophiam maxime consistere in continua mortis meditacione, & vero philosopho nihil incundius accidere posse quam animi separationem a corporis custodia, quæ quam sit multiplex ex aliis operibus Platonis, & ex aliis nostris scholiis vir sapietia cupidus deprehendere poterit.

V O L E T igitur &) Hac complexione satis apertum relinquitur viri philosophi murus, quod etiam explicatur s. de Republica, vbi vult ipsum esse optimæ & facilis naturæ ad percipiendum omne genus disciplinæ, rerum diuinarū maxime studiosum, contemplationi consecratum. Vbi obseruabis in doctrina Platonis duplex genus mortis, vnum quo animus ab intellectione & contemplatione ad res sensiles demittitur, alterum totius animalis constantis ex animo & corpore, quod rursus est duplex, vnum naturale, quo re vera fit separatio animi a corpore, de quo hic minus agitur, alterum virtutibus comparatur, quando videlicet animus per virtutes morales purgari

tus ita contemplationi addicitur, ut videatur a corpore separatus.

Q V O N A M id modo) Hæc questio eo pertinet ut in telligamus non esse unicum genus mortis.

A P H I L O L A O) De Philolao vide Aristotele 10. cap. 2. de republica, Plutharchum in vita Platonis, ubi testatur Platonem tres Pythagoricae sectæ libros ab ipso Philolao minis centum mercatum esse, ex quibus postea multa in suum Timæum transcriperit.

Q V I D enim aliud) Cum sint tria maxime inimica mūsis, venereus coitus, vini & cibi satietas, atque nocturna hecate: Vult hoc loco significare nocturnas vigilias multum detrimenti afferre, si cogant dormire post solis ortū, Nam tres planetæ Sol, Venus, & Mercurius, contemplationi & musis maxime fauētes, post occasum a nobis recedunt. Vide Ficinum primo libro de triplici vita.

I T A Q V E mirum) Hæc dubitatio nascitur ex ignorantia: nam & vitæ & mortis genus non est simplex.

I N Q V A D A M custodia) Hæc custodia bifariam intelligi potest: primo ut velit innuere homines non omnino esse sui iuris, sed in dei tutella, de qua Cicero in Somnio ita loquitur. Quare & tibi Publi & piis omnibus animus est retinendus in corporis custodia, nec iniussu eius a quo ille est nobis datus ex hominum vita migrandum est, ne munus a Deo assigнатum defugisse videamini: Secundo ut velit innuere animū esse in corpore tanquam in carcere, aut ut naulerus est in nauis.

E X possessionibus esse) Hæc ratioducta a simili, satis manifestum relinquit neminem mortalium ita esse sui iuris, ut sibi liceat manus violentas inferre.

Q V A L E M nobis) Vult innuere Plato migrare ex hac vita philosophum iussu Dei.

IN PHAEDONEM PLAT.

QUOD vero dicebas) Seruans decorum personæ Cebeti ingeniosissimo subtilem argumentationem ascribit, qua probabilius concludit improbis potius quam philosophis mortem expetendam.

QUO enim consilio) Confirmatio est rationis Cebetis ex eo vim accipiens, quod videatur maxime decere virum philosophum bono quod a diis immortalibus acceperit delectari.

ACCVRATIVS quam) Vir sapiens non existimat instantiam defensionem proponendam iudicibus iniustis.

AD DEOS alios) Videtur hic Plato prætersphærarum animos agnoscere mentes sublimiores, in quarum numerū posuit aliquando mens humana recipi.

SAPIENTES & bonos) Plato, homo æthnicus, agnoscit sapientiam & bonitatem dei:

NVNC certe habetote) Hinc agnosce societatem vere philosophantium post mortem.

SED HV C quidem) Haec dubitatio videtur eo referenda, quod viros appellauerit bonos: Nam si cum diis conferantur, vix tanto titulo digni haberi possunt.

QUOD vero ad nos) Verus philosophus, qualem hic Socratem Plato describit, ingenue fatetur Deum Optimum, & proinde omnium rerum optimam curam habere, & optimis optima reddere.

QVI defuncti sunt) Huic consentanea dubitatio Aristotelis primo ethicorum, an quidpiam ad mortuos pertineat.

QVIDNAM Socrates) Aliquid iis qui defuncti sunt superesse satis controversum erat, proinde Socratis amici experti intelligere, quid hac de re ille sentiat, unde sumitur proxima occasio disputandi de animi immortalitate.

ANNOS quoque) Participes relinquet si demon-

strauerit animi immortalitatem.

N E M P E commune nobis) Pythagorica sententia, philosophantium omnia bona communia, quando inter ipsos solos vera est amicitia.

V I D E T V R enim) Artificiose innuit Plato pietatem animi humani cui iamiam moriendum est.

E G O V E R O iudices) Ex hac simulata & per propopeiam facta purgatione deprehendere licebit quænam sit illa mors, quā expētere debet philosophus, & quæ sit vita vere philosophica.

M E R I T O magna) Hinc agnosce quæ præmia syncera philosophia afferat suis cultoribus.

Q V I C V N Q V E philosophiam) Ex hoc contextus colligunt Platonici veram philosophi vitam nihil aliud esse, quam humanae mentis separationem a corpore per veram contemplationem, atque ipsum philosophum tanto sincerius vivere, quanto magis a rebus corporeis animum abduxerit.

Q V O D si id verum) Quod diu multumque expetitur, non videtur præsens grauiter ferendum, philosophus per totam vitam mortem commeditatur, eamque maxime expetendam predicit, igitur non est verisimile eum illam grauiter ferre.

M I H I quidem haud) Vir philosophus in hac vita non videtur consequi tantam animi perfectionem, quin perturbationibus etiam contrariis subjiciatur.

N A M multos arbitror) Popularis sententia est, eum non esse dignum vita qui hæc inferiora & res caducas ceteris non anteponat.

E T M O R T E sint) Philosophus est morte dignus, quoniam eius animus, purgatione facta per virtutes morales, totus est consecratus contemplationi adeo ut nulla videatur es-

IN PHAEDONE M PLAT.

se eius corpore affinitas.

P V T A M V S N E aliquid) Ut Aristoteli ita & Platonis priuationes quodammodo numerantur in iis quae sunt, & renocantur ad eas categorias, quibus formæ & habitus continentur.

P E R seipsum existere) Hic locus, aut Pythagoricus est, aut solum intelligitur de animo humano: Nam forma pure naturalis a materia separata per se non potest cohaerere.

V I D E T V R N E tibi) Fundamentum est totius disciplinae quæ apud Ciceronem copiose tractatur primo paradoxo: unde licebit colligere plane verum esse quod ille in præfatione scribit sua paradoxæ maxime Socratica.

Q V A P P E L L A N T U R) Ita loquitur, quia nomine tenus sunt voluptates: Nam veram voluptatem nullus dolor sequitur.

Q V A L E S sunt) Singulorum sensuum suorum sunt quædam voluptates, sed vulgo notiores ex gustatu & venere.

S E D nunquid venereorum) Vir plane philosophus bifaria separat animum a corpore, primo quoniam eum auocat a perturbatione beneficio virtutum moralium, secundo a sensibus & imaginatione mentem abducit, eamque totam contemplationi consecrat: uterque modus ex hoc loco potest deprehendi.

N I S I quatenus magna) Bona externa numerantur in rebus utilibus quatenus absque eorum usu cetera sua perfectionem ultimam sortiri non possunt.

M I H I quidem) Veri philosophi studium & munus eo maxime pertinet, ut corporis nullam habeat curam nisi gratia perfectionis animi.

P H I L O S O P H V S) Discrimen philosophia ceteris hominibus.

Q V A M maxime potest) Ita loquitur, quoniam animus

quandiu est in corpore non potest ita ab eius commertio separari, quin quodammodo illius organis vtatur.

P V T A N T vero) Hanc sententiam Socrates in Theate longe apertius & copiosius explicat, vbi describit eos, quos imperita multitudo existimat abuti studio philosophiae. Porro hinc poteris colligere quam mortem velit Plato philosopho expectendam.

V T R V M impedimento) Ut tradit Plato in Timo, perturbationes, appetitus, erroresque omnes a corpore proficiuntur, contra vero mentis natura est spiritualis, syncera, & a perturbationibus aliena, ita satis constat cum animus corpore quasi sepulchro concluditur, ei corpus impedimento esse: unde Plato in Cratyllo existimat corpus vocari & quia quasi id est sepulchrum.

H A B E N T N E visus &) Stoici, Epicuri, & Academicci, hanc questione tractarunt: decipienturne sensus circa propria obiecta. Socrates, Democritus, Anaxagoras, Empedocles, Heraclitus, Cratylus, multique alij philosophi existimauerunt nihil posse vere cognosci, imbecilles nimium ac tardos esse hominis sensus, res sensibiles usque adeo mobiles, ut sint omnis certitudinis expertes, breuem esse nostram vitam, omnia opinionibus & obscurissimis tenebris inuoluta. Plato hoc loco existimat & in Timo duntaxat intelligentiae fidem habendam, quae simplicia ac uniformia cernit, & quale quidque sit, agnoscit: nullamque esse scienciam nisi per animi rationes, cum rebus corporeis atque perturbationibus impeditur.

V I S V S & auditus) Horum potius quam ceterorum sensuum meminit, quoniam proprii sunt disciplinae. Atque ut copiosius tractatur in Symposium, synceri amoris synceri sunt inter nucum: reliqui enim sensus potius pertinent ad ea quae vita ani-

IN PHAEDONEM PLAT.

malis sunt necessaria.

N I H I L nos audire) Hac sententia poëtica vera est in specie potius quam in genere: nam circa proprium obiectum nunquam fallitur sensus.

C O R P O R I S sensus) Ex omnibus sensibus, aspectus, & auditus, maxime sunt immateriales, attamen absque organo corporeo non sortiuntur suum effectum.

N I H I L eum perturbat) Videtur hoc loco Socrates approbare ἀπάθειας Stoicorum.

Q V O D vero hoc) Elegans est induc^tio, qua manifestum relinquit Socrates nullius rei vim, & naturā aliquo sensu posse deprehendi, & proinde tum denique maxime philosophum esse apud se & serio philosophari, cum a corpore & rebus, quæ sub sensum cadunt, animum abduxit.

M E N T E se comparat) Hac preparatio facienda per animi abductionem a sensibus & rebus corporeis.

N O N N E igitur ille) Ex hoc loco syncere intellecto libebit agnoscere, qua ratione animus contemplatione purgatur, purgatusque tandem perueniat ad veram cognitionem intelligibilis pulchritudinis: nam, ut tradit Plotinus, animum purgari aliud nihil est, quam vera & plane philosophica contemplatione affectus omnes sedari, animumque a rerum corporearū cura liberari: tum enim pristinae plu^{ch}ritudini restituitur, fitque totus intellectualis. Porro Plato in sophista duas cōmemorat purgationes, unam animi, alteram corporis, atque hāc medicorum, illam boni viri propriam afferit.

N E C E S S A R I A iam) Vere philosophantium oratio de impedimentis, quæ animus a corpore recipit: Quibus vide tur velle innuere nihil posse sciri nec intelligi perfecte antequā animus in aliā vitam migrauerit: unde, ut testatur Diuus Au-

gustinus libro de vera religione, solebat Plato suos discipulos a corporeis voluptatibus deterrere, afferens neque aspectu, neque ullo alio sensu veritatem percipi posse.

D O N E C corpus) Id probe agnoscens Pythagoras dece annos latuit, Zoroastes viginti, Minos noue, Epymenides quin quaginta annos dormiuit: vide Platonem in Minoe & tertio legibus.

P R A E T E R E A morbi) Plato in Timo probe agnoscet a corpore morbos proficiisci, iubet ipsum exerceri quo facilius animi tranquillitas conseruetur.

E X T R E M V M vero) Qui frequentiores versantur in his exquirendis quae ad cultum corporis pertinent, si quando aliquid oculi nocti fuerint, nequeunt vere & sincere contemplari, quia non habent animum purgatum, id est, secretum a perturbationibus corporeis.

C A E T E R V M nobis) Id manifestum reddunt artifices praestantissimi, qui nihil unquam eximium excogitarunt, nisi cum neglectis, quae ad corpus pertinent, sola animi ratione usi sunt: unde Archymedes Syracusius nec urbis expugnationem, nec hostem imminentem percepit, adeo figurarum geometricarum contemplationi erat intentus.

A T Q V E tunc ut) Ut scribit Aristoteles quarto capite primi de caelo, natura nihil frustra molitur: ut habetur primo metaphysics, omnibus hominibus a natura est insita scientia cupiditas, igitur necesse est aliquando adimpleri: id autem non videtur posse fieri in hac vita propter tam varia corporis impedimenta, igitur post animi separationem a corpore, & proinde non simul cum corpore interit animus.

A T Q V E dum viuimus) Hinc agnosce qua ratione posset animus in hac vita aliquid commercii habere cum mente cœlestis.

C ij

IN PHAEDONEM PLAT.

PVRIFICATIO vero) Cum animus corpori applicatur potissimum duobus vitiis labefactatur, quorum, unum a perturbationibus nascitur, alterum ab ignorantia: vnde Plato hoc loco, & in Sophista existimat animum optime purgari, si & perturbationibus, & ignorantia liberetur.

CVM enim corpus) Rei prestantissimæ amor efficit, ut nihil reformidemus eorum, quæ eius adeptionem impediunt, sarsina corporis prope infinita impedimenta afferit cupienti consequi sapientiam, itaque viro philosopho nihil potest esse incundius, quam separatio animi a corpore.

AN VERO amatis) Hęc confirmatio Aristotelii in topicis dicitur a minore ad maius: Si propter mulierū amorem, qui longe postponendus amori sapientiae, quibusdam incessit cupiditas migrādi ad inferos, quanto magis debet vir philosophus expetere migrationem ad veram sapientiam.

ARBITRATI quidem) Disputationis hactenus habitæ hęc summa est, philosophus res corporeas debet aspernari, solamque mentis contemplationem probare: vera philosophia est mors corporis, & animi vita, philosophica contemplatione animi purgandi sunt & multis virtutibus exornandi: sed hęc postrema pars paulo accuratius explicabitur, ubi docebit Socrates in vita philosophica longe synceriores esse virtutes, quam in vita ciuili.

PRO INDE quæ) Paucis attingit illas virtutes, quæ primum quidem versantur in vita ciuili, sed imperfecte: deinde in contemplatione philosophica, quibus a rebus corporeis mens separatur.

SCI S VTIQVE) Fortitudo ciuilis non est virtus satis sincera, quoniam est coniuncta cum formidine maioris malī, quod non agnoscit fortitudo philosophica.

M O D E R A T I dicuntur) *Vult innuere Plato ciuilem temperantiam non esse integrum & puram, qua ciues non nullas vincunt & aspernantur voluptates, ut ceteris liberius fruantur. Nulla enim potest esse vera virtus segregata à sapientia, sed duntaxat quædam eius imago, eaq; imperfecta, quoniam omne virtutis officium versatur in quadam animi purgatione, sapientiae gratia.*

Q V A N Q V A M impossibile) *De alicuius rei natura bifariam differere contingit: Primo populariter & pingui Minerua, & tum quod definitur plerunque est permixtum suo contrario, aut ab eo non procul abest: Secundo philosophice, cum animus est iam abductus à rebus corporeis: & tū quod definitione explicatur planè syncerū est: atque inde existimare posse deprehendi, non nihil discriminis inter dialecticum & philosophum Aristotelis.*

T A N Q V A M nummos) *Qui nummulario aureum nummum exhibet, ab eo multos argenteos, vel argentatos accepturus, etiam si quod magis ex vsu praesenti videtur accipiat, tamen nihil accipit, quod re vera sit præstans: eodem modo qui voluptates voluptatibus & dolores doloribus commutant, nihil sic præclarius sibi comparant, neque viam expeditiorem ad virtutem.*

S I N autem à sapientia:) *Nulla potest esse vera virtus segregata à sapientia & prudentia: alias virtutum vera vinclula essent negligenda.*

V I R T U T I S autem) *Omne virtutis officium versatur in quadam animi purgatione, gratia sapientiae & veræ contemplationis, sine quibus non potest adiungi syncera pulchritudo, syncerus amor, syncera voluptas, in quibus consistit beatitudo.*

IN PHAEDONEM PLAT.

N E Q V E initatus) Secundo de natura deorum Cicero appellat mysteria ea initia, quibus agresti vita homines ad humanitatem excoluntur, tanquam ea sint vitæ initia.

T H Y R S I G E R I quidem) Verba græca sic habet θυρήσιοφόροι μὲν πολύι βάκτραι δὲ καπῶσα, qua paremia vti licebit, quoties significabimus multos quidem nomine & speciem studio si præse ferre, veram autem paucissimos habere. Porro ωρῆς, quæ latinis dicitur thyrus, erat hasta aculeata hæderis operta, quam circumferebat qui Bacchi festa & mysteria celebrabat.

S A P I E N T I A ipsa) Sapientiam humanam vocat purificationem quandam, perinde quasi existimet nos nihil aliud nostræ sapientiæ meditatione consequi, quam mentis puritate, ad quā sequatur diuina illuminatio, quæ est vera sapientia.

E V M iacere in luto) De animorum diuerso statu post separationem a corpore, vide dialogum decimum de republica: vbi Plato singit Herū Harmeniu genere Pamphylium reuixisse, & de eiusmodi statu multa narrasse, quæ nō sunt admodum dissimilia iis quæ tradit Virgilius sexto Æneidos.

S I vero) Sententia Socratis. Veri philosophi satis sūt immutati & purgati, adeo ut iam illis apud superos sit paratus domiciliu.

Q V V M illuc peruererimus) Fortasse hæc idem volebat Solon, cū asserebat nemine certe appellatū beatum ante obitū.

PARS TERTIA DIALOGI.

Cum hæc Socrates) Tertia est pars totius dialogi, in qua vniuersa immortalitatis animorū rationē cōplectitur Plato, deinde falsas rationes a Cebete & Simmia obiecit as refellit. Profert autem potissimum quinque rationes ad cōficiendā suā sententiā, quarū prima sumitur ab antiqua opinione, & cōmuni hominū cōfessu: Altera ex cōtinua rerū p̄ductione,

que nūquā intermissa tāquā circulo sese quodā cōuerti: Tertia ab humana sc̄iētia, quæ nihil aliud est, quam recordatio: Quartā adfectu contrarii: postrema a summa simplicitate, quæ non videtur dissolutionis capax.

Q V A N T V M vero) Septimo cap. quarti libri de placitis philosophorum, refert Plutarchus Democritū & Epicurū voluisse animū obnoxium interitui, Pythagoram & Platonem, quorū, hic nomine Socratis sententia explicatur, mortalitatis esse immunē quia Dei Āterni sit opificiū: proinde ab illa quæstione tanquam controuersa exorditur Cebes.

N E S I comædus) Fortasse hoc addit propter Aristophanē, qui in nebulis introducit Socratē nugacē metietē saltū pulicis.

V E N T V S quidē) Prima ratio ad cōfirmādā animi immortalitatē, quā duximus a cōmuni veterū cōfēsu: vbi obseruabis Pythagoricos & Platonicos in ea fuisse persuasione, vt crederet ante corpora animos extitisse, nimirū oēs ab initio mūdi fuisse a Deo productos, indeque ad varia corpora demitti, tū a corporibus separatos tādē in ipsa remigrare: vnde colligūt Platonici, vt Lactātius & Eusebius, Pythagorā, & Platonē cognouisse resurrectionem futuram: verum id reprehēdit Diuus Augustinus libris de ciuitate dei.

N E Q V E vero id hominis) Secūda est ratio, quæ ex precedere supponit animos ante corpora extitisse: deīde ex cōmuni philosophorū cōfēsu duo proposita assumit, nēpe omnē metum omneque mutationē spectari inter contraria, & ipſis contrariis necessaria aliquid subiici, quoniam vñ in alterū mutari nequit: quibus lōga inductione cōfirmatis, tandem colligit ipſū animal, velut mediū subiectum, viciſim vitæ & mortis fieri particeps.

S I reuiuiscentia) Eusebius libro decimo de præparatione euangelica, hanc reuiuiscentiam interpretatur, de vera illa resurrectione, quam speramus.

IN PHAEDONEM PLAT.

ANIMA ADVERTE ergo) Confirmatio est secundae rationis, partim ex circulari progressu generationis, partim ex deductione ad absurdam Anaxagorae sententiam, de rerum permixtione & confusione.

UT ENDYMIION) Endymion, ut fingunt poëte, in latino Cariæ mōte quadraginta annos dormiuit, cuius meminit Cicero. s. lib. de finibus, & prima tusculana, vbi docet nullum esse sensum in morte, cū præserim nullus sit in somno, qui est eius quædam imago.

AT QVI & secundum illud) Tertia est ratio, quam diximus de promi ab humana scientia, quæ nihil aliud est quam recordatio: rationem sic compones. Nostra scientia est mera recordatio, hæc autem est eorum, quæ prius sciuiimus: at qui non potuit animus prius scire, nisi ante corpus extiterit: Si vero ante extiterit, post etiam existat oportet, & ita est immortalis. Propositionem tum hic longa iudicatione, tum in Menone confirmatus rationibus: priore, quia interroganti sepe optime respondemus, etiam de iis, quæ nunquam didiscimus: posteriore, quia ex cognitione rerum sensibilium, ideo à seu communem notionem colligimus. hæc autem collectio non videtur fieri posse nisi prius rei cuiusque idea animis nostris fuisse insculpta. Cæterum hæ probationes sunt Pythagoricae, ex quibus deliges id quod melius videbitur.

DE INDI si quis) Socrates in Menone puerū quendam introducit de figuris geometricis, quas nōdum didiscit, satis probe respondentem, & demonstrationibus assentientem: vnde arbitratur efficere nostram scientiam esse quandam recordationem.

HAC equidem ratione) Hæc ratio desumitur a definitiōne recordationis, quæ est instauratio rei oblitæ, cum videlices

S C H O L I A .

quippiam in memoriam reuocamus quod pene elapsum fuerat, id autem fieri nō potest, nisi rei, quā recordamur, præcesserit cognitio. Cæterum media recordandi præcipua sunt, similitudo, & dissimilitudo, quæ hoc loco a Socrate prolixa inductione tractātur.

304

A T T E N D E sanè) Disputationem de ideis aggre-
ditur, ubi contentendit, tum nostros animos, tum ipsas ideas,
terumque omniū essentias priores esse rei cuiusq; generatione.

V N D E N A M scientiam) Ideas esse bifariam demon-
strat: Primo quia idem numero subiectum, quod nūc æquale
dicitur, potest fieri in æqualē nulla facta essetiæ mutatione. Ipsa
verò æqualitas nunquam potest fieri in æqualitas: secundo quo
niam quæ iudicio sensus habentur æqualia, sunt imperfecta, ha-
betque non nihil in æqualitatibus: vera autē æqualitas syncera est
& impermixta, itaque oportet ipsam aliam esse à sensibilibus

A T Q V I & hoc) Huius loci sensus sic habet: etiam si
rerum omniū notiones à natura nobis sint insitæ, tamen in lu-
cem educi nequeunt, nisi beneficio sensuum. Cui consentaneū
est quod Aristoteles nostræ cognitionis originem sensibus atri-
buit. Nam tertio de animo scribit nihil nos mente percipere
quod prius aliquo sensu non comprehendamus, iuxta illud tri-
tum, nihil est in intellectu quod non fuerit prius in sensu.

O P O R T V I T autē) Reuertitur ad disputationem de
reminiscencia, cui attribuit humanam cognitionem idearum.

H O C ipsum quidem) Hinc colliges Platonem existimas-
se ipsas ideas verius & perfectius esse, quam res sensibiles.

F I E R I enim id) Quemadmodum ex cognitione unius
similis statim alterum simile in memoriam reuocamus, ita exi-
stimat Plato per cognitionem rei sensibilis excitari ideas, ani-
mo quidem iampridē insitas, sed sotitas & pene obliteratas.

D

IN PHAEDONEM PLAT.

A N ergo sic nobis) Quoniam, ut paulo inferius concludet, iam satis videtur esse demonstratum animum humanum ante hominis ortum extitisse: Priusquam ad alteram partem accedit, hic paucis declarat qualis fuerit tunc animus: nimirū summo artifici quodā modo similis per veram idearū cognitionem.

A N vero post) Questionis de animi immortalitate duę erāt partes: prior, qua quærebatur an animus existat priusquam in corpus mittatur: posterior an animus a corpore separatus possit remanere: hanc posteriorē hoc loco suscipit explicādā Socrates, atque primo loco Cebetis & Simmī obiectionē proponit, cui prius quā satisfaciat, prolixā satis ironia illos ridet, quod mortis metu perculsi firmissimis rationibus non p̄sint assentiri.

D E M O N S T R A T V M est) Repetitio est illius confirmationis, quæ desumebatur ab illo comuni axiomate, Omne mutationem spectari inter contraria, ortus interitusque perenem esse vicissitudinem

M E D E R I carminibus) Secundo de legibus vocat Plato ἐποδεῖς, ea carmina & documenta, quæ eam vim habent, ut homini persuadeant legibus esse parendum.

A N non tale) Initium est disputationis de statu & permanentia animi post separationem a corpore: vbi in primis tali vtitur ratione. Quemadmodum omne compositum, quatenus tale est, mutationi & dissolutioni subiicitur: ita quod vere est simplex, omnem dissolutionem respuit. Atqui animi essentia re vera est simplex, igitur nullam dissolutionem potest admittere, & proinde post separationē a corpore manet immortalis.

A N NON QVÆ) Animi essentiam maximè simplicem esse, & proinde omnis mutationis omnisque dissolutionis expertem demonstrat ex natura rerum intellectuum & idearum, quæ omnis mutationis sunt expertes. Hinc observa

discrimen verum inter res vere simplices & compositas.

QVID AVTEM dicemus) Rerum duo sunt genera, quædam sensibus percipiuntur, quædam ab omni motu sunt remota: priores compositionis & dissolutionis sunt participes, posteriores vero sunt omnino simplices, & ab omni mutatione alienæ, priori generi simile est corpus, posteriori animus. Itaque ut corpus est dissoluble, ita animus vere simplex existens immutabilis permanet, & proinde est immortalis.

AN NON ET HOC) Potuisset aliquis responderem animum, partim esse visibile, & partim inuisibilem propter eius cum corpore connexionem. Itaque ut id diluat Socrates, ex eius separatione a corpore per contemplationem & somnia, docet ipsum omnino esse intellectilem, nulloque modo visibilem.

QUIA per sensus) Existimat Plato in Theæteto corpus nec vivere nec sentire, sed p ipsu vitæ ac sensus opera declarari, & quos nonnulli vocant quinque sensus, ipse organa sentiendi vult appellari: in quibus tamē non sit sensus, sed illis tanquam meatibus ab una animi facultate singula percipi

AT VERO QVOTIES) Si quo longius dicit animus a corpore, eo perfectius se habeat, manifestū est corpus non esse eius originem, neque ipsum esse rem corpoream, atque tunc perfectissimum fore, quando penitus a corpore euallauerit, & proinde immortalē permanere.

HOC quidem seruire) Animum corpori imperare hinc in primis patet, quod corpus agēdi nullam vim habeat, sed solum patienti: Deinde ex quatuor præcipuis affectibus cupiditate, metu, voluptate, & dolore, quibus corpus ab animo immutatur. Præterea ex magna vi ipsius rationis, que habitum diuturna consuetudine roboratum momento potest

Dij

IN PHAEDONEM PLAT.

labefactare, exemplo esse poterit Polemon, qui, cum primum audiuit Xenocratem de pudicitia disputantem, ex intemperante mox factus est temperatissimus. Potro hæc ratio desumitur a dignitate & præstantia animi per comparationem cum corpore. Nam si præsidet animus, corpus vero seruilem conditionem subit, hæc inter se maxime distare necesse est.

VEL aliquid rei) Hoc addit, quoniā, ut docuit in Timo, id, quod aliquando incepit esse, non est secundum suam naturam omnino indissolubile, sed tale redditur a summo opifice, a quo proxime originem duxit.

CERNIT igitur) Videri potest hic latere argumentū quoddā a minori ad maius. si enim corpus, quod sua natura est compositum, & dissolutioni obnoxium, diu post interitū potest seruari, quanto magis animus omnino simplex omnis dissolutionis expers?

ANIMA vero) Explicatio est status ac conditionis animi post eius a corpore separationem: ubi purgatorum animalium præmia, inquinatorum pœnas attingit, atque ad veram illam purgationem philosophos hortatur per quam liceat ad superos migrare.

ANIMA inquā) Huic consétit Axiochus apud Iosephinum afferens mortem esse transitum quendam ad immortalitatem & synceriorem bonorum perceptionem.

SIM autem polluta) Existimat Plato, si quis in hac animali & corporea vita animum rebus corporeis nimium implicauerit, contagione corporis omnino & post mortem tales animos remanere, tandem tamen purgari. & purgatos ad deos migrare.

PONDEROSVM vero) Animorum tria vehicula constituant Platonici: primum æthereum, immateriale,

¶ perpetuum, quod nunquam exuent: alterum, aëreum, quod retinent quousque fuerint optime purgati: Tertium terrenum, ac omnino materiale, a quo separatur animus, tum per contéplationem, tum per hominis interitum. de secundo hunc locum intelligunt Platonici. Ratio est autē, qua adducuntur, ut eiusmodi vehicula introducant, quoniā arbitrantur fieri nō posse, ut substantia omnino incorporeā, simplex, & immaterialis, immediate vniatur substantiæ corporeæ, materiali, & sensibili: quod videtur agnoscere Aristoteles. 3. & 2. de generatione animalium, vbi afferit omnem animæ virtutem participare corpus diuinius quam quæ elementa appellantur.

R V R S V S induant) De nouis corporibus induendis plus
ra sub finem decimi de republica, vbi afferit animam, quæ olim
fuerat Orphei, elegisse cygni vitam: quæ Thamiris, Philome-
næ: quæ Aiacis, leonis: quæ Agamenonis, Aquila: quæ Athlæ-
tis, athletæ. Ceterum ut hanc metempsichosim familiarius in-
telligas, adnotabis veterum Theologiam sex habuisse viros
proceres, quorum primus fuit Zoroastes magorū caput, secū-
dus Mercurius Trismegistus sacerdotum Ägyptiorū prin-
ceps, cui tertius successit Orpheus, quarto loco Aglaophemus.
Orphei sacris voluit initiari, cui Pythagoras successit: horū ve-
ro omnium theologiam Plato suis literis comprehendit, auxit,
& illustrauit. Verūtamen hi omnes suam theologiam, ne pro-
fanis communis fieret, poëticis umbraculis obtegerūt. Itaque si
Xenocratæ & Amonium summos Platonicos audiamus,
existimabimus eorū scripta longe aliter esse intelligenda quam
eorum verba significare videantur: attamen Iustinus martyr,
Lactatius, Plutarchus, Apuleius, Porphyrius, Basilius, & Di-
nus Augustinus, hanc metempsichosim interpretantur quasi
Pythagoras & Plato hac in parte prorsus delirantes existi-

Dijj

PHAE DONEM PLAT.

mauerint hominum atque belluarū easdem esse animas. Ficinus vero ad morum similitudinem refert, quod etiam copiosus in Timaeo declarauimus. Nam vix probabile est tantum philosophum postquam declarauit animi immortalitatem, & similitudinem cum rebus diuinis, statim in eum errore delapsus, ut crederet tam nobilem substantiam belluae formam fieri.

NON NE horum) Hæc dubitatio videtur esse apud Aristotelē primo Ethicorū, ubi meminit illius opinionis, quæ sumum bonū reponit in honore, tanquā in vero præmio virtutis.

QVONIAM decens) Vera est ironia, qua plebeam sententiam & popularem ridet, quæ vitā ciuilem philosophiæ anteponit. Cum enim animus philosophicus ad superos recta via proficiatur, politicus autem aliorum animantium corpora induat, non est probabile hunc esse beatum si cum illo conferatur: ubi etiam tacite ridet politicas virtutes, si conferantur cum philosophicis, quorum summum vinculum est ipsa sapientia.

QVAMOBRE hi qui) Comparatio philosophiæ vitæ & migrationis a corpore per dissimilitudinem cum iis qui a philosophia & musis sunt alieni.

COGNOSCVENT proposito) Proposito, quasi per repetitionem, philosophi officio, docet animum corpori necessario esse alligatum, sed tamē per philosophiam & verā cōtemplationem ita posse liberari ab omni perturbatione, ut etiam mors non sit illi molesta.

PER quam deuinctus) Per animum fit atq; exercetur in corpore cōcupiscētia: at qui per cōcupiscētiā animus corpori arctius astringitur: itaq; videtur quod ammodo causa sui vinculi.

COGNOSCVENT inquam) Qualis sit animus humanus: & quomodo se habeat, quando eum instituendum & purgandum suscipit philosophia.

SCHOLIA.

20

307.

QUEM AD MODVM philosophia) Explicatio est purgationis, quam animus a philosophia recipit. Nam beneficio philosophiae, primum ab omni sensu & corporeis perturbationibus abducitur animus: deinde ab imaginatione, quæ plerūque est fallax, tandem factus sui compos serio cōtēplatur.

QVID NAM hoc) Huic videtur cōsentaneū quod in Timo scribit, neminē fieri spōte malū. Porro quia animi natura per se est intellectualis & immaterialis, nullis affectibus subiicitur nisi quatenus corpori alligatur & pīde dicitur cogi.

QASI telā) Penelope Ulyssis vxor, ut singit Homerus libro odiseae secūdo, cū a procis nimiū virgeretur, promisi illis se nupturā cū primū absoluisset telā, quā in manibus habebat. Illa diurna quidē luce ingētē cōtexebat telā, verū eadē admotis lucernis nocte soluebar: atq; hac conditione eos delusit. Vult autē innuere Socrates, eos inanē operā sumere qui animū a sēsibus abducūt, & per voluptates eundē rursus corpori alligant.

NVM hoc Socrates) Iam satis cōfirmata videtur animorū immortalitas, ordo plane philosophicus exigit ut aduersariorū falsæ opiniones refellantur. Non enim magni interesse videtur virū cōfirmatio reprehensioni, an hæc illi anteponatur. Est enim Platonis institutū omnino refellere eorū sententiā, qui afferūt animū esse harmoniā & quatuor qualitatū & humorū tēperaturā: ubi simul nititur rursus demonstrare animum ante corpus exitisse, & a corpore separatū remanere: præmittit autē Socrates digressionē quandā, qua aperte demonstrat non solū sibi sed etiam omnibus philosophis verū inesse mortis contemptum, reprehenditque Cebetem, & Simmiam, quod tam difficiles sint & tardi ad recipiendam animi immortalitatem.

Deterior Cygnis) Hæc de Cygnis fabulā volūt Platonici esse Pythagoricā & allegoricā: Pythagoricā qdē, quatenus afferit

Diiij

IN PHAEDONEM PLAT.

ipsorum animos superuenire. Allegoricam vero, quatenus Cygnus avis solaris & Phæbea significabat talem fuisse Socratem. Nā & Phæbi oraculo probatus est & humanis mētibus, medebatur. Cygnus præterea non minus voce, quam colore hominem innocentem & vere purgatum significat: qualis philosophus hoc libro a Platone describitur,

TVNC magis id modum) Hac de re duodecimo capite libri noni de hystoria animalium ita scribit Aristoteles. Olores canere soliti sunt præcipue iam iam morituri. Ouidius, Dulcia defecta modulantur carmina vita, Cantator Cygnus funeris ipse sui. Plinius autem capite vigesimo tertio libri decimi id mēdosum existimat, eius verba sic habet. Olorum morte narratur flebilis cantus falsis, ut arbitror, experimentis. Cui consentire videtur Erasmus his verbis: Cygnos instantे morte mirandos quosdam cantus edere tam omniū literis est celebratum, quam nulli vel compertum vel creditum.

QVAS ferunt) Fingunt poetæ Tereū in vppupam, Prognem in hyrundinem, Philomenam in auē sui nominis mutatā: vnde Ouidius libro de remedio amoris. Arte mea terens Philomena placeret, Per facinus fieri non meruisse ausi.

PRÆSAGIVNT alterius) Hac de re scribit Cicero prima tusculana. Socrates cum pene manu iam mortiferum teneret poculum, commemorauit ut cygni, qui non sine causa Apollini dicati sunt, sed quod ab eo diuinationem habere videantur, qua prouidentes quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriantur, sic omnibus bonis & doctis esse faciendū.

EQVIDEM & ego) Vult innuere Socrates se ipsū Appollinis beneficio, id est, phæbea eruditione præsentire futuram immortalitatem post hanc vitam.

VNDECIM viri) Apud Athenienses decem erant

tribus, ex qualibet deligebatur unus, quibus undecimus adiiciebatur scriba, horum erat officium latrones, griffatores, aliosque sceleratos, persequi et morti adiudicare.

N E M P E de harmonia) Initium est disputationis de essentia animi, an videlicet possit esse corporis harmonia: quemadmodum existimauerunt Pythagoras, Philolaus, et Aristoxenus, quorum sententiam videtur probare Galenus. Aduersariorum confirmationem subiungit per comparisonem, hoc modo: quemadmodum harmonia sciungitur a lyra, ita animus, quasi concentus quatuor qualitatum, diuersus a corpore esse videtur.

S I ergo anima harmonia) Superius contendebat Socrates, si post separationem animi a corpore ad aliquod tempus remaneat, ipsum corpus multo magis remanere. hic contra Simmias ducta similitudine ab instrumentis musicis conatur demonstrare id non esse necessarium praesertim si animus sit quedam corporis harmonia. Cuius ratione paulo inferius diluet Socrates.

M I H I quidem) Hic sub persona Ceboris Plato in medium profert opinionem Stoicorum assertentium animum quidem separatum a corpore ad aliquod tempus remanere, tandem tamen senescere, atque interire: et proinde ex tali separatione non posse colligi animi immortalitatem.

SED aduerte) Probabilis est confirmatio sententiae Stoicorum: ubi eleganti similitudine Socratis rationem deprimit, cuius ferme hic sensus est. Quemadmodum textor multis confessis vestibus tandem aetate ingrauescente moritur, neque possumus ex vestimentis remanentibus colligere eius aliam vitam: ita postquam animus multa in corpora migravit, tandem fortasse veterascit, neque ex postremo corpore remanente satis possumus apprehendere eius immortalitatem.

PHAEDONEM PLAT.

HIS tamen concessit) Hacerat quorumdam Stoicorum sententia, completis multis generationibus animum defatigari, veterascere, & tandem profsus interire, paulo inferius diligentius examinabit Socrates.

VENIAM equidem) Simmia & Cebetis rationibus satisfacturus, ita disputationem instituit ut Phædonem & Echecratem eadem de re dubitantes introducat, partim ut maiorem attentionem sibi conciliet, partim ut Socratis rationes in admirationem adducat.

MARE arguorum) Ut refert Alexader ab Alexandro libro tertio genalium dierum, apud Argios, quem admodum apud Romanos, ea erat consuetudo, ut aliqua de re cōcepta mestia comā non raderent, & cum magnū quippiā essent facturi, iuraret non prius comam rasuros quam negotium absoluissent.

CONTRA duos ne) Huius prouerbij originē explicat Plato in Eutymo afferēs cum Hercules esset in Hydrā & Cancrū pugnaturus in auxilium vocauisse Iolaum. Porro hic intelligit duos Cebetem & Simmiam, Iolaum vero Phædone, cuius opem ironicos requirit.

IN primis vero) Subiicit prolixam orationem, qua explicat quantum fidei adhibere possumus rationibus humanis, ex qua tria documenta colligit: Primum rationi obtemperandum esse: Alterū, si desint accurate rationes, simus cōtēti probabilibus: Tertiū ne more sophistarū nimis ptinaciter nostra defēdamus.

ODIVM quidē) Vnde odiū in homines potissimum nascatur: ubi obseruabis ex precepto Socratis veris rationibus credendum, non autem more Pythagoreorum, autoritati.

QVEM admodum videlicet) Ut cæterarū rerū extrema rara sunt, sic & rationes exactissimæ: proinde quemadmodum admonuit in Timao cogimur uti probabilibus, quod si una inueniatur minus constans & firma, non tamen ob id reliquas as-

pernari oportet.

MEDIA vero frequentia) Hinc colliges quemadmodum non inueniuntur in hoc mundo sublunari corpora omnino simplicia & pura, sic neque reliquias res inueniri in sua simplici & exacta perfectione.

Præcipue vero) Id dictū accipies in sophistas, in quos quarto Metaphysicæ copiose disputat Aristoteles de primo principio.

IN Euripo) Euripus pars maris inter Phocidē & Eubœā septies in die ac nocte reciprocans, ut vētos sua rapida conuersione & plena vēris nauigia secū portet. Vide plinium nonagesimo septimo capite secundi libri.

NON NE inquit) Ob quasdam rationes minus certas & constantes non existimat Socrates reliquias abiiciendas esse, sine quibus perpetuis ignoratiæ tenebris inuoluitur animus neque ullam veritatis cognitionem assequitur.

IN primis igitur) Reprehensio est sophistarū qui nimiū pertinaces in defēdēdis suis rationibus eas nō veritatis sed cōtētionis studio amplectuntur. Vbi primū admonet non sēper a re ipsa sed plarūq; ab humanae mentis imbecillitate certitudinē proficiunt.

QVOD qdā) Sophistas existimat a vera disciplina alienis simos, quia philosophia finē, quæ est sincera veritatis cognitio, nō sibi pponunt, quibus consona sūt quæ Aristoteles primo topic. quarto Metaphysicæ, & libro Elenchorū de sophistis tradit.

PRIMVM quidē) Cebetis & Simmiae opiniones in memoriam cōpendiose reuocat, ut magis innotescat in quē scopum pertineant quas mox rationes subiiciet.

AT vero necesse) Multis rationibus contendit animū non esse harmoniam, quas breui cōpendio sic accipies. Si scientia est reminiscētia animū corpore priorē esse oportet, atqui harmonia non est prior suo instrumento, igitur animus non est harmonia: Deinde animus corpori imperat, harmonia instrumētū nō imperat.

PHAEDONEM PLAT.

Præterea harmonia intenditur & remittitur, animi essentia virtu^u que respuit. Adhæc animus virtutis atque virtutⁱ est capax, non autem harmonia. Insuper animus est substantia vici^sim contraria suscipiens, harmonia vero qualitas nullis contrariis subiecta, igitur animus non est harmonia.

RATIO vero) Hic locus intelligitur de eiusmodi rationibus, quas Aristoteles primo topicorū φυσικαὶ appellat.

VIDETVR tibi) Harmonia non est quipiam aliud ab iis omnibus ex quibus conflatur, Animus vero, ut satis demonstrant eius functiones, est omnino aliis a corpore, igitur non est harmonia.

NEQUE etiā ut) Harmoniae nullæ sūt actiones, nullæque perpetiones, nisi a suo instrumento: animi vero sue sunt actiones, non a corpore, itaque non est corporis harmonia.

NON igitur) Animus corpus ipsum præcedit & dicit, harmonia vero sequitur & ab instrumento ducitur, ergo animus non est harmonia.

QVARE per multum) Animus eas habet functiones quæ corpori & partibus eius plerumque repugnant, tale nihil efficere potest harmonia.

NON Ne magis) Harmonia contumaciam & remissionem admittit, animi natura veramque respuit, ergo animus non est harmonia.

DIC age per Iouem) Eadem vis animi atque natura, nunc virtuti atque prudētiae, nūc vitio atque ignorantiae subiicitur: id autem nulli harmoniae conuenit.

EIVSMODI vero) Si animus est consonantia cum neque magis neque minus admittat, omnis aequa particeps erit consonantiae & nullus vitio subiicitur, cum præsertim omne vitium sit quedam dissonantia.

QVÆ vero neque) Ad mentem Platonis consonantiae non sunt naturæ recipere magis neque minus, id est, nō magis unus rei natura participare quam alterius, & non magis pluribus quam paucioribus subiici.

QVO D vero) Animus sua natura corpori imperat, eiq; lōge sapientia repugnat quam indulget, huius autem contrarium spectatur in harmonia, ergo animus non est harmonia.

AT QVÆ ferme omnibus) Quantum sit animi in corpus imperium, exemplis atque auctoritate manifestū efficit: vbi videtur Plato constituere duas medicinæ partes: unam profigandi morbos, quam a Medicis requirimus, alteram exercendi corporis, quæ nostra est in potestate, eamque in multis locis commendat Plato, afferens homini eam datam esse contra deformitatem, sicut altera medicina contra morbos.

RATIOME M vero) Ironica est allusio ad Cebetis patriam, qui etiam erat Thebanus, sicut Simmias: Thebani vero dicti sunt Cadmei a Cadmo primo urbis conditore. Vide Erasmus de Cadmea victoria.

PARCIVS ista) Huius loci hic ferme sensus est. Mihi precor ne succēdas, quod Simiæ expugnauerim rationes, neq; meas laudibus nimium exornauerim: Inde enim posset perturbari sequens disputatio.

EQVIDEM ô Cebes) Priusquam dubitationes absoluat, rationesque immortalitatis perficiat: multa inserit de naturali disciplina & de humanae scientiæ inconstantia: vbi maxime damnat illos philosophos, qui in assignandis rerum causis, dunt taxat ad materias quasdam & instrumenta configiunt, negligētis præstantioribus & diuinioribus causis: quales sunt efficientes, finales, & ideales: Nam ab illis potissimum dependet effectus naturales. Itaque ex hoc loco, discursu Socratis com-

E iij

IN PHAEDONEM PLAT.

pendiose colliges, abiiciendum esse philosophū illum naturalem, qui naturalium affectuum causas dūtaxat ad qualitates quasdam elementares curiosius referens, in illis tanquam primo principio & vltimo fine quiescit: neque summum vniuersi bonum atque finem requirit.

PRÆCLARISSIMVM enim) Socrates existimans id vnum maximè ad philosophum pertinere, vt ortus & interitus rerum causas agnoscat, iuueniles annos scientię naturali impendit, quam nonnulli vocant naturæ hystoriam: quoniam sicut in hystoria res singulae quo ordine gestæ sunt narrantur, ita in naturali disciplina vniuersum naturæ opificium ordine describitur.

P E R quas singula) Apud Aristotelem primus philosophus differt a physico, quod hic primas rerum omnium, ille vero corporearum solum causas inquirat.

ET qua sint ratione) Formam intelligit cuius presentia res existunt, sicut absentia intereunt.

T A L I A quædam) Ordine proponit multas quæstiones, quarum explicatio pertinet ad philosophum naturalem, neque tamen satis haberi potest ex ijs, quæ physici tradere solent: unde tandem colligit scientię naturalis imbecilitatem & incertitudinem. Prima autem quæstio referri debet ad nutritionē, vt sit sensus. Num incrementi aut nutritionis causa sit vis caloris, aut frigiditatis: cui hoc modo est respondendum. Quemadmodum animalium vita consistit in natuō calore, ita nutritionis & accretionis vis ab eodem proficietur: agit enim in ipsum alimentum quo usque in suæ substantiæ particulam conuertatur.

PRÆTEREA VTRVM) Huius secundæ quæstionis potest esse duplex sensus, prior ad animi essen-

tiam pertinens, iuxta diuersorum philosophorū sententias, an scilicet animus sit sanguis, ut voluit Empedocles, an ignis, ut Zenoni placuit. Posterior ad vitæ instrumentum refertur, an scilicet, id quo tanquam instrumento, ad tribuendam vitam vivitur animus, sit sanguis, aëris, an ignis.

A V T nihil horum) Hæc tertia quæstio ad principatum animæ pertinet, quæ inter Aristotelem & Galenum satis controversa est. Vult autem Plato in Timæo vim sentiēdi a cerebro usque ad iecur promanare.

E X IJS autem) Has duas quæstiones diluit Aristoteles primo Metaphysicæ secundo posteriorum & tertio de animo.

P R O I N D E horum) Naturalis disciplina incertitudinem multis modis demonstrat. Primo ex rerum subiectarum inconstancia: secundo ex sensuue errore, & imbecillitate: tertio ex causarum occultarum obscuritate. Nam, exempli gratia, constat omnia viuentia nutriti, & augeri, sed, quomodo id fiat, humanae menti non est satis perspectum.

A R B I T R A B A R enim) Rursus subiungit multa exempla, quibus humanæ scientiæ infirmitatem & incertitudinem licebit deprehendere.

P R O C V L equidem) Huius dubitationis difficultas in hoc potissimum consistere videtur, cum quippiam ex partibus augeatur, recipitue incrementum, quia singulae partes illud recipiendi vim habent, an duntaxat quia omnes inter se connectantur: difficultatem auget propositis exemplis in numero & magnitudine, quoniam accretio ad quantitatem pertinet.

V E R V M C V M A V D I V I S S E M) Respondisset forsan aliquis, ex Socratis ignoratione & imbecillitate non

IN PHAEDONEM PLAT.

satis recte colligi scientiæ naturalis incertitudinem. Prætereat
hoc loco eius propositum eam non solum in se demonstrare, sed
etiam in Anaxagora, qui summus physicus habebatur: eius v-
niuersam sententiam primū cōmemorat: deinde adhibito iudicio
quædam laudat & probat, alia vituperat & reprehendit.

PROPTERE A si quis) Ita existimat Anaxagoras, om-
nia in materia, quasi in quodam chaos fuisse confusa: Indeque
mentem sine deum, eadē procreasse, detractis similaribus par-
tibus, ad vnumquodque efficiendum accommodatis, quod ap-
probat Socrates, potissimum quatenus diuinam mentem consti-
tuit causam communem omnium rerū, existimauitque cuncta,
qua fieret, non aliam suæ affectionis propriam causam habere,
quam quod illis optimum est.

IT AQVE arbitrabar) Optabat Plato in primis finale
cuiusque rei causam, atque vniuersi, id est, bonum cuiusque &
vniuersi bonum, cuius potestas est causa efficiens.

HAC igitur migrabilis) Ad scientiam id vnum pertinet, vt
communes causæ cum propriis iungatur, & rebus singulis adhi-
beantur, iuxta illam Aristotelis tritam sententiam, Homo &
Sol signunt hominem. Itaque hoc loco reprehenditur Anaxa-
goras, quod cum vnam causam principem rerum omnium po-
suisset, illam singulis effectibus minime accommodauerit, quod
nihil aliud est quā causa & scientia abuti. Vult tamen Ari-
stoteles primo lib. Primæ philosophiæ hanc Anaxagora senten-
tiā ita cōmode explicari posse, vt à veritate nō videatur aliena.

PROFECTO per canem) Hinc deprehendes homini
philosopho causam materialem non esse magni momenti, sed ef-
ficiente & finalem, Materiam enim, vt paulo inferius expli-
cabit, est duntaxat sine qua non: vnde Aristoteles primo de a-
nimo, noluit definitionem materialem esse principium demon-

strationis, sed potius conclusionem. Cæterum Socrates iurans per canem sit itbi hieroglyphicum memoria, quæ circa preterita versatur.

ILANDIV, ut arbitror) Pridie, quam ab Apolline rediret tremis, Socratis amici conabantur illi persuadere, ut relictio carcere, ad Bæotios & Megareses se reciperet, apud quos auctoritate plurimum valebat: sed, ut hoc loco & in Critone declarat Plato, maluit Socrates legibus obtoperare. Vult autem innuere Plato causam materialem homini philosopho non esse magni momenti, sed efficientem & finalem.

VERVM talia) Materia potest appellari causa, quatenus sine ipsa adimpleri non potest quod efficiendum proponitur, non tamen est vera causa, quoniam in ea nulla vis efficiendi spectatur.

NON autem eius) Forma non nisi ab agente introducitur, agens autem non agit nisi a fine impellatur: Itaque ut finis principem locum obtinet inter causas, sic materia infimum. Quod si res ita habeat in naturalibus, multo magis in iis, quæ a consilio & electione profiscuntur.

NAM qui sic) Hinc agnosce distinctionem illam causarum in veram causam, & causam sine qua non Neotericam minime esse, sed priscis philosophis fuisse perspectam.

QUOD quidem multi) Nomen causæ existimat alienum a materia, quatenus, ut diximus, neque per se vim efficiendi habet, neque ad agendum impellere potest.

QUO Apropter nonnulli) Profert quorundam philosophorum sententias, qui materiali instrumentariaque causa contenti, precipitas aut ignorarunt, aut omnino neglexerunt: quos Aristoteles primo metaphysicæ examinat & reprehendit. Cæterum vertigo seu rotunditas, neque situs, neque status terræ potest esse

IN PHAEDONEM PLAT

ea uia sufficiens: talis enim figura videtur potius quodammodo
uia re motum.

ALII vero) Eam sententiam Aristoteles primo metaphysicæ attribuit Anaxagoræ, simul & secundo libro de coelo.

POTENTIA vero) Sensus eius loci sic habet. Anaxagoras & consimiles physici præcipuam vim effectricem non attingerunt, neque propriam causam finalem, neque ullam aliam præstantiorem, quam dæmonicam hic appellat.

POST QVAM vero) Conclusio est, qua colligit naturæ disciplinæ incertitudinem, tum quia magna ex parte naturæ rerum ignoratur, tum quia vel pro vera causa plerique physici alienam proferunt.

VIS NÆ ô Cebes) Exponens quod cōsilium sit sequutus in peruestigandis causis rerum, primum admonet se multum defessum & sæpius allucinatum, cum ab ipsis sensibilibus veritatē exquireret: Idque confirmat naturali similitudine. Vbi observabis Platonem, quia summi boni amplitudinē comprehendere non potest, secundo loco eligere rationes ideales, quarum similitudine & participatione in mūdi materia expressa sūt omnia

ORBANTVR enim) Hac similitudine vult innuerre animum corporeæ intuentem interim ad incorporeum intuitum obcœcari, neque posse rerum veritatem satis exactam haberi, nisi ad ideas configiamus.

NISI in aqua) Hic obserua facilem rationem inspiciendi deflectionem Solis: quonia enī Sol Lunæ opacitate obscuratus aspectum lœdit subita lucis obfuscatione, Commodius fuerit vas aliquod plenum aqua lympidae regione solis deficientis ponere, & in eiusmodi aqua congressum Lunæ cum Sole intueri.

T
quodam
mo mat
de coel
et. Anax
ricem nu
e villan
ligit no
c Parva
erique p
fit sequo
e malum
ilibus ren
ne. Vidi
compre
quarum
ressa fac
ne valo
corporat
satis eu
em infor
are obser
modific
ols depa
e cum Sis
SCHOLIA

26

314

QVAPROPTER (opere preicum) Non in sensu, neque in rebus que sub sensum cadunt, sed in rationibus & rebus quæ sola mente comprehenduntur veritas est quærenda: Nā eas vere existere Cicero cum Platone afferuit.

FORT EVERO) Corrigit proposita comparationē, afferens similitudinē non quadrare, nisi quatenus valet ad explicandā cæcitatem mentis: non enim recreatur animus rerum similitudine. ut sensus, sed potius vera principiorum contemplatione.

VENVM tamen hac via) Existimat Socrates veram & exactam esse methodum inuestigandarum causarum, si firmissimā rei cuiusque rationem perquiras: firmissimum autē genus causæ esse speciē atque ideam: ut scilicet omnibus pro confessō statuatur esse aliquid perse pulchrum & perse bonum, cuius participatione cetera talia sunt.

ARBITROR enim) Prolixa est inductio, qua manifestum efficit res omnes corporeas id ipsum quod sint per ideam existere: Rā ad ideæ quoq; in mēte diuina existit imaginē factæ sunt, formamque essentialē habent Vbi adnotabis ideam posse appellari causam efficientem & finalē, efficientem quidem, quatenus suam imaginē imprimit in ipsa materia, finalē vero quatenus ideo vult informare materiam, ut sui similiudinem, id est formam materialē inducat.

PRÆTER IPSVM) Ipsum pulchrum & ipsum bonum intelligit Plato ideam pulchri & boni in Deo positam, cuius vi cuncta pulchra & bona efficiuntur.

ERGO NON DVM) Cum ipsa idea sit vera causa cuius vi omnia primo fiant, non existimat Socrates ulterius progrediendum in exquirēdis rerū causis, neque de ipsis ideis verbo sius dicendum: partim ne ab instituto fiat digressio,

Fij

P H A E D O N E M P L A T.

partim, quia talis disputatio magis pertinet ad dialogum, qui inscribitur Parmenides.

N O N N E & ipse consentit) Explicatio est proposita inductionis: ubi vult, sicut unumquodque pulchrum est communione aut participatione veræ pulchritudinis: ita unumquodque magnum & bonum, quatenus idealis magnitudinis & bonitatis formam habet.

I G I T V R neque tu) Rem quamlibet suam naturam, suamque denominationem sortiri non ab accidente, sed ab essentia, cuius origo ad participationem ideæ referenda est.

P R I M V M quidem) Ne inter Platonem & Aristotelem pugnantia quædam videatur, obseruabis Platonem hoc loco unumquodque considerare secundum essentiam & ideam, Aristotelem vero in categoriis, ubi asserit magnum atque paruum, magisque & minus spectare participationem accidentis sensibilis per relationem ad diuersa.

H O C autem dicet) Videtur a ratione alienum, ut participation paruitatis sit vera ratio magnitudinis: At qui caput res parua est, si cum toto conferatur: igitur non videtur posse esse vera causa propter quam res una alia maior dicatur.

A T T A M E N Simmiam) Aperior & copiosior est confirmatio propriæ sententiae: nimur res ipsas non magnas non paruas, non maiores neque minores esse propter excessum: sed duntaxat propter ideæ participationem, a cuius similitudine suum esse recipiunt. Vbi obseruabis, quod superius admonuimus, Platonem loqui de ipsa magnitudinis forma, quæ semper est una & sui similis, non autem de re magna aut de re parua: sic enim una atque eadem, pro diuersa comparatione, potest dici magna atque parua.

D I I boni inquit) Cum superius demonstraret Plato

SCHOLIA

24

315.

animi immortalitatem, assumebat generationem cōtrariorum fieri ex contrarijs: hoc loco, ne tanquam immemor sui, videatur sibi contradicere ἀναντίον quendam introducit obiectionē mouentem, cui respōdet idem quidem subiectum posse vicissim vnum atque alterum contrarium recipere: nunquam tamen vnius contrarij essentiam posse in naturam alterius mutari. Sunt enim rerum essētiae impermixtae: cui consentit Aristoteles, primo physicorū, vbi cōtēdit duo cōtraria non habere sa-
tis virium ad agendū & patiendū, nisi tertiu subfit subiectum.

TUNC enim dicebat) Aliud est loqui de formis contra-
riis, aliud vero de subiectis, quibus illae formae insunt.

ILLA vero) Non potest vnius contrarii essentia fieri ex
essentia alterius.

VOCASNE aliquid) Inductio est in confirmationem
sententiae, de prompta a qualitate & variis numerorū formis:
vnde poteris agnoscere quid sit contrarium, quid res contraria,
& quo pacto quipiam nō sibi, sed alteri dicatur contrariū.
AN & aliud quiddā) T acite innuit duo genera subiectorum: vnum quod ita sibi annexum habet accidens, ut eius con-
trariū recipere non possit: verbi gratia, nix non potest fieri calida
absque sui interitu: alterū quod vno subterfugiente reliquū
admittit. Vult præterea primas formas contrarias plerumque
habere fundamentum in formis non contrariis, quæ tamen nū-
quam simul esse possunt: exempli gratia, par & impar in bi-
nario & ternario: quæ omnia eo tendunt, ut intelligamus ani-
mum morti & interitui non posse subiici, cum eius sit propriū
munus corpori vitam afferre.

NON SOLVM ERGO) Non solum forma contra-
ria in naturam formæ contrariæ mutari nequit, sed nec ipsorum

F ij

PHAE DONEM PLAT.

prima fundamēta: exemplo sint paritas & imparitas, binarius
& ternarius.

QVEM admodum paulo) Quæ vna specie atque idea co-
tinentur non solum in naturam contrariam mutari nequeunt,
sed nec ideam contrariam recipere possunt.

QVOD ergo definiendum) Res subiectæ contrariorū ca-
paces, possunt suscipere diuersa contraria: ipsa tamen nunquā
possunt simul coherere. Vbi adnotabis Socratem ideo docere
nihil sibi aduersari, vt inde facilior sit aditus ad explicandam
animi immortalitatem: Nam si nihil sibi sit contrariū, vita non
poterit sibi esse interitus: animus autem per essentiam corpori
vitam tribuit, estque eius primum subiectum: itaque nō potest
fieri mortis particeps.

RVR SVS tanquā) Repetitio est eius quod tum ante di-
gressionē, tū in ipsa digressione assumpit nimirū vnum quodq;
existere per suam formam essentialē, quæ ipsius idea sit par-
ticipes, non autem per materiale, aut accidentariam causam:
itaque quoties rei alicuius causa queritur, substancialē &
per se causam reddendam esse, non eam quæ sit accidentaria:
quod variis exemplis per inductionem illustrat.

NEMPE si me) Quemadmodum ignis per suā essentiam
est vera causa aqua vnum quodque subiectum calidum, dici-
tur: ita animus vera & essentialis causa est qua vnum quod-
que animal efficitur vitæ particeps. Ut igitur ignis non potest
esse frigidus, sic nec animus interitui potest subiici.

RESPOND E I GIT VR) Continuatio est induc-
tis ad demonstrandum formam essentialē esse verā rei cau-
sam, que cum sibi contraria non sit, neque contrarium sibi af-
ferre posse, inde satis manifestū efficietur animū immortale
esse. Ratio autem multis interrogationibus inuoluta, in sylla-

gisum ita reuocari poterit. Quæ formæ cum suis subiectis
ita cohærent, vt illis nihil contrarium afferant, semper eadem
manent, atque eodem modo se habent: Atqui animus sic
affactus est ad corpus igitur semper idem manens est omnino
immortalis.

QVID ergo Cebes) Hæc comparatio, quæ est pars prece-
dantis inductionis, eo tendit, vt concludat integrum & incola-
men remanere animum aduentante morte: quia per suam
essentiam est causa vitæ. Probatio sic habet. Vita mors esse
nequit. Animus est corporis vita: igitur non potest illi mortem
afferre, & multo minus sibi, itaque est omnino immortalis.

QUEM ADMODVM ternarius) Ut ternar-
ius ad impar, ignis ad calorem, ita animus ad vitam: sed ne-
que ternarius par, neque ignis frigidus esse potest: igitur neque
animus est capax interitus.

CÆTERVM dicet) In quibusdam contingit, vt ea-
dem res subiecta viciſſim formas contrarias recipiat: una ta-
men forma in aliam nunquam mutari potest, verbi gratia,
etiam si idem grex, nunc pari, nunc impari munero contine-
atur, tamen paritas nunquam fit imparitas, neque ternarius
paritatem recipit: igitur neque animus mortem.

INTERITVS quoque, Conclusio est ex repugnantibus:
sunt enī hæc inter se pugnantia, esse immortale, & posse interire.

SIQV IDEM quidnam) Ex formarum proprietate a-
nimū docet indissolubilem, cum sit vitæ species, id est, forma &
idea, quam Plato ἀντὸς τῶν ἄδιος nominat.

QVOD mortale) Intelligit ipsum corpus & materialem
formam, quæ, vel ex partium dissimilarum compositione, vel
similarum proportione, nascitur.

Quarta pars dialogi.



OC aiunt ô viri) Hac postrema parte dialogi ex proprio instituto cōtinetur exhortatio ad virtutes, cum explicatione praeiorum & suppliciorum, quæ post hāc vitā humanis animis reddūtur. Initium sumitur ab v̄su, & incomodo bona & prauæ educationis. interserit sentētia de multiplici vita, & varia migratione ex hac vita. Subnēctitur fabula de situ, figura, & magnitudine terræ. Itē de Tartaro, & quatuor p̄cipuis fluminibus, quibus animi tenentur, & purgātur. admonetque hāc quidem fabulosa esse, sed tamē aliquid verisimilitudinis in se cōtinere. subiungitur tandem finis de cōstantia Socratis in morte perferēda.

NEGLEXERIT animam) Vt ad probitatem exhortatio plus habeat viriū, futurae vitæ præmia, p̄casque hominū animis propositas, cōmemorat: simul & praterit vitæ examē.

NIMIRVM improbi) Hic locus potest etiam esse utilis ad demonstrandam animi immortalitatem, hoc modo. Neque virtus debet obesse, neque vitiū prodeſſe: id autem omnino accideret, si animus cum corpore simul periret. Nam laboriosa est via virtutis, & voluptuosa vitii: unde apud Ecclesiastem cap.7 ita scribitur. Iustus periit in iustitia sua, & impius multo viuit tempore in malitia sua.

NIHL enim aliud) Potuisset aliquis negare, post hāc vitam posse vitium obesse, aut virtutem prodeſſe: proinde admonet animū secum deferre intellectus, & voluntatis habitus siue bonos, siue malos.

QVEM venus sortitus) Hoc loco videtur Plato hebreorū

SCHOLIA

317.

sententiam subolfacere, qui suum cuique angelum a Deo adiunctum afferunt, eundemque huic ad superos ab eo deduci si videatur dignus felicitate.

POST multos temporis) Libro primo de Republica hac de resententiam explicans Plato, ait animos hominū, postquam e vita excesserit, atque ad inferos venerint, per mille annos puniri, posteaque ad terras remitti: qua in re nullum videtur admittere eternū supplicium: cui non videtur dissimilis error Originis afferentis, neque hominum animos damnatos, neque Dæmones apud inferos fore perpetuo, sed tandem purgatis scelerū sordibus, in gratiam Dei reuocandos.

EGO vero neque) Animi ex hoc corpore migrantes, per triuum ducuntur. Nam quidam perducuntur in cælum, alii mittuntur in Tartarum, Alii vero in medias regiones. Cicero tamen prima tusculana, ex hoc loco colligit duas vias, duplicesq; cursus animorum ex hoc corpore excedentiū cui consentit Virgilius sexto æneidos, his verbis:

Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas.

Dextera quæ ditis magni sub mœnia tendit.

Hac iter Elysium nobis, at læua malorum

Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.

ANIMVS ergo) Et boni & mali ducuntur a suo dæmone, non tamē eodē modo. Nā in bonis simplex & pura intelligētia mouetur, in malis autē imaginatio & affectus perturbatur.

QVI vel socius) Improbos afferit absque duce errare, partim quia non habēt ducem beneficū, partim quia non agnoscunt quo trahantur, & violentia rapiantur.

MVLT A vero) Quia inferorum poenas, & formam satis commemorasse videtur, Nam de illis in Gorgia, in Apologia, & indecimo de Repub. copiosius disputatione Hoc loco proponit

G

PHAE DONEM PLAT.

varias mundi regiones, ut tandem explicet quibus in locis degant animi, posteaquam ex hac vita migrarunt.

ARS GLAUCI) Hanc paræmiam interserit, ve innuat futuram enarrationem de terra pura & cœlesti, non carere difficultate. Nam ars Glauci proverbum est significans eximiam quandam industriam, aut opus aliquod exquisite elaboratum, qualia erant cymbula quatuor, quæ Glaucus Libicus fabricatus est. Nam pulsata, certam Musicam reddebat, atque ab illis, fortasse, proverbum originem duxit.

ESSE VERO &) Varia terræ habitatio, simul & impuritatis causa explicatur.

PVRAM vero ipsam) Quæ ab Ægiptiis, & Hebreis acceperunt Græci, multis fabulis & poëticis ænigmatibus inuoluerunt. Itaque & quos Homerus hortos Alcinoi, & Virgilius campos elyseos, & hoc loco Plato terram puram nominat, plerique Platonici intelligunt paradisum illum voluptatis, quem Genesis secundo capite Deus plantauisse dicitur, in eoque hominem, quem formauerat posuisse. Cæterum eiusmodi terram puram, & coelestem, Plato in Gorgia vocat insulas fortunatas, in Phædro autem locum coelestem.

IN puro iacere) Quidam Platonici, ut recèset Macrobius, intelligunt a primo coelo usque ad Lunæ globum interiectam regionem, cui aliqua ex parte consentit Theologicorum alegoria afferentium platanationem paradisi esse intellectilem vitam animalium. Alii vero, forsitan melius, quasdam terræ plagas usque adeo altas, ut ventis & imbris non pulsentur, in quibus sit aër temperatissimus & præciosissima quæque nascantur.

PER INDE ac si) Comparatio est terræ quam inco-

SCHOLIA

30

318.

limus cum altera pura, in qua degunt, qui terrenum iam ex-
uerunt: ubi vult nostram terram omni puritate destitutam
esse, nosque libero aere & caelo carere. Contra vero cælestem
regionem, cui docendi gratia rerum inferiorum nomina tri-
buit, variis coloribus, hisque verioribus distinctam, arbores,
fructus, flores verissime illic existere, quorum similitudines
quædam sunt apud nos, quæ omnia eo tendunt, ut intelliga-
gamus futuram vitam, hac longe esse beatiorem.

F E R V N T igitur) Descriptio est terra purissimæ, quæ
animæ fælices incolunt, cui non est admodum dissimilis descrip-
tio sanctæ ciuitatis, quæ habetur apud Diuum Ioannem
in Apocalypsi 21. & 22. capitibus. illic enim nomina rerum
inferiorum, & lapidum, gemmarum rebus cælestibus attri-
buuntur.

Q V A L E S S V N T H Æ) Hac inuoluta com-
paratione vult innuere terræ sublimis seu æthereæ regionis
diuisionem in duodecim plagas, quibus correspondent duode-
cim signa Zodiaci: ac certe huic loco omnino consonum vide-
tur quod in Timeo dodecaëdra figura caelo tribuitur.

I N E I V S M O D I) De eiusmodi lapidibus vide
Plinium libro trigesimo septimo capite quinto septimo &
nono.

P RÆ F V L G E N T I A quidem) Vera fortasse
huius loci intelligentia, hæc est. In cælesti regione fælices animi
rerum omnium formas pure & proprie contemplantur, quæ
hic maxime sunt inuolute, nec nisi ænigmatice ab imbecillitate
humanæ mentis percipi possunt.

PROINDE ibi esse) ut superius admonuimus, quoniam
Plato hominem definiebat, animū corpore vtentem, platonici

Gij

IN PHAEDONEM PLAT.

triplicem hominem constituerunt. Primum qui solo vehiculo
æthereo vteretur. Alterum qui aëreo: Tertium qui crasso &
terreno. De primo & secundo hunc locum maxime intelligunt.

ITEM visu, auditu) Hac comparatione vult significare,
non veram haberi cognitionem de rebus, interim dum animus
terreno vehiculo vtitur, sed duntaxat opinionem, atque eam
plerumque falsam.

ET ignis ingentes) Existimant Platonici hæc platonem de-
suspisse ex septimo capite Danielis: vbi sic ait: fluvius igneus,
rapidusque egrediebatur a facie eius.

HÆC autem omnia) Quod hic dicitur vas penile, græce
Plato dixit ἀιωνα, quod propriè significat vimineum instru-
tum, in quo exsiccantur casei & adseruantur esculenta. Porro
Iudæus in commentariis lingua græca, hunc locum refert ad
situm elementorum.

IN hoc vtique) Hanc de origine aquarum sententiam re-
prehendit Aristoteles secundo Meteorologicæ. vbi disputat
de falso dñe maris: eidem tamen videtur magis consentire quod
scribitur Genesis secundo. Fons ascēdebat e terra irrigans uni-
uersam superficiem terræ. Porro nomine illius receptaculi vi-
detur sapiens intelligere mare, cum, inquit, ad locum vnde e-
xeunt flumina reuertantur, ut iterum fluant.

QVOD autem hinc) Hoc idem tradunt philosophi natu-
rales de coloribus, & odoribus & saporibus aquarum.

IDEA QVÆ facit aër) Causam efficientem fluxus &
reflexus aquarum existimat spiritum quendam internum, qui
aqua ipsas egerit & recipit, id quod explicat ducta similitu-
dine a resp̄tantibus.

PROINDE sunt) Poëtarum figura sequutus, explicat
quæ flumina ab ipso Tartaro ducant originē: atque eiusmodi

S C H O L I A:

319

enigmatibus, honorum præmia, malorū supplicia tradit. Cæterum Platonici quidam allegoricos hæc quatuor flumina, tū ad quatuor corporis humores, tum ad elementa quatuor referunt. Nam ab ipsis humoribus varie promanant perturbations, quæ hominum animos plerūque a recta ratione auocant, quo nullus maior cruciatus esse potest.

TERTIVS vero) Eusebius cap. vigesimo libri vndecimi de præparatione euangelica hunc fluuium, quem Plato Phlegetontem appellat, intelligit perpetuum ignem paratū in supplicia damnatorum.

CVM vero hoc) Haec tenus terram coelestem, qui locus est beatorum, tartarumque & eius flumina, in quibus sunt sceleratorum manes, copiose satis descripsit: hoc loco singulorum iudicium explicat, admonens talia cuique futura præmia, quam prius vitam duxerint: qua in re non procul abest a syncera veritate nostræ religionis.

ITAQVE quicumque) Nonnulli Platonici in hunc locum adnotant criminum tria genera: vnum quod facile admodum curatur, quia non est ex habitu: Alterum quod ab habitu quide proficiscitur, sed pœnitentiam quādam sibi annexam habet. Tertium quod ab inueterata & prava consuetudine nascitur, est que alienum ab omni pœnitentia. Primum Acheronti: alterum Phlegetonti: tertium Tartaro destinatum est.

PVRAMQVE supra) Platonici solent hoc pacto præia distinguere. Animus qui sine philosophia pie ac sancte vixerit, tenuissimo corpore supra terrā degit. Qui ciuiliter philosophatus est, corpore cælesti cum cælestibus viuit. Qui autem omnino per synceram philosophiam purgatus est, in locum cælestem euolat, ubi absque corpore per totum tempus

G iii

IN H P AE DON E M PLAT.

viuit. De eiusmodi fortasse loquitur Aristoteles nono cap. libri primi de Cælo.

HÆC igitur) Ne a philosophi officio discedens, poëtarū figmentis videatur nimium oblectari, admonet non omnino fidem adhibendam esse fabulæ quam de pura terra, de tartaro, & fluminibus eius, de premiis, & suppliciis animorū retulit: esse tamen & locum quendam illis non admodum dissimilem, & præmia quædā bonis, suppliciaque malis esse proposita.

S V O decorauerit) Hinc agnosce quanta sit vis veritatis: hominies ethnici religionis expertes synceram ad superos viā agnoscunt natura duce, quam qui sequitur, ut ait Cicero, bene beateque viuendi rationem amplectitur.

P RÆSTAT enim vt) Existimat Socrates commodius sibi fore, si post lauacrum biberet venenū, quoniam lotione corpus quodam modo laxatur, partesque constrictæ aperiuntur: vnde haustum venenum celerius in omnes partes corporis penetrat, quod etiam experimus in iis, qui magno sudore contracto, frigidam copiosius & longius dibunt. Illi enim aut subito emoriuntur, aut in graues morbos elabuntur.

N I H I L equidem) Vult Socrates præclara documenta, quæ hactora disputatione tradidit filiis, discipulis, amicis, pro testamento haberi, id est, ut per germanam philosophiam vere purgentur, virtutisque & suæ vitæ curam gerant.

V T C V N Q V E inquit) Vult innuere non tam habendam esse curam sepeliendi corporis, quantam habet vulgus, existimans, si corpus caruerit sepultura, animum, tanquam miserum, perpetuo errare.

Q V O D (autē iandiu) Quæ hoc loco de se prædicat Socrates, satis aperte demonstrant Platonem fuisse in ea sententia, ut

existimaret hominem esse animum rationis participem corpori videntem, ipsumque corpus non partem, sed instrumentum hominis. Qua de re duodecimo de Legibus ita scribit: Credendum est regulatori de animo, cum dicat eum omnino a corpore differre, nec aliud praeter ipsum esse, quod in hac vita facit, ut quilibet nostrum sit hoc ipsum quod sumus. Corpus vero tanquam imaginarium quoddam sequi. Idem satis aperte declaratur in Alcibiade primo.

CONTRARI A quadam) Ut habetur in dialogo, qui Crito inscribitur, hic Crito voluit esse fide iussor apud iudices pro Socrate, ut ex carcere dimitteretur, Socrates vero pluris fecit migrationem ad superos.

LICET NE ex hoc) Haclitatione aperte innuit Socrates, morientem debere summam habere curam pietatis: tunc enim maxime est necessaria. Præterea hoc genere sacrificij uti solebant veteres erga Deos.

SED Apollodorus) De hoc Apollodoro ita scribit Xenophon in appologia Socratis Apollodorus quidem aderat Socratis amicissimus, vir simplex & rudis & preferens, quod Socrates iniuste damnaretur quem reprehendit Socrates, quoniam præstat iniuste quam iuste damnari.

O CRITO Æsculapio) Hoc Galli sacrificio, ne superstitiosus nimium videatur Socrates, Platonici maius quippiam intelligunt. Nam gallus, diei & noctis nuncius, significat vitæ lucem. Æculapius Apollinis filius morbos curans, designat prouidentia diuinæ beneficentiam, huic autem omnis vita lux debetur: fortasse tamen vult Socrates Aheniesibus explicare suam innocentiam, qui tantum abest ut Deos aspernetur & etiam in morte velit illis sacrificari.

PHAE DONEM PLAT.

Pythagoræ fuit præceptū gallum nutrire: quod nihil aliud si-
gnificat quam diuinam nostri animi partem, diuinorum rerum
cognitione, quasi solido cibo & cœlesti ambrosia esse paſcedū.
Vult etiam aperire Socrates nomine huius sacrificij animas
migrantes ad æthereas fides Phæbo pœanu canere. F axti di-
uina prouidentia vt ab animis nostris omnes morbos proſige-
mus, vt vera immortalitate beatorumque ſedibus poſsimus per
frui, faxit etiam,

Vivas neſtoreos felix habiturus honores,
Æthereosque colas poſt tua fata lares.

F I N I S.

321.

DE FRVCTV DIVINI CVL-
TVS ET POTISSIMVM PRECATIONIS,
ex Diuo Chrysostomo, Colligebat Matthæus Frigil-
lanus.

Ad Montanam Domum veræ eruditionis
& pietatis plenissimam.

T sol corpori lucem præber, sic animæ lumen est
precatio.

V Quoties precationi vacamus, vere cum Deo col-
loquimur & Angelis copulamur.

Fieri non potest, ut qui postulant a Deo pudicitiam, iustitiam,
mansuetudinem ac benignitatem, non assequantur id quod
petunt.

Daniel magnus propheta existimauit mori præstantius, quam
triduo ab oratione arceri.

Si agnoscas quempiam non flagrare studio orandi, facile de-
prehendes eum nihil egregiæ dotis in animo possidere.

Si quis in summis damnis numerat cessationem ab oratione,
hunc non male iudicabis omnis virtutis meditatore, & verum
Dei templum.

Precatio, si nos peccatis refertos reprehenderit, celeriter pur-
gatos reddit.

Precandi studium & amor Niniuitas iustos reddidit.

Precatio in quorumque peccatoribus sibi domiciliū delegerit,
eos reddit plenos omni iustitia, erudiens & excercens ad vir-
tutem, & malitiam omnem propellens.

Precatio non solum purgat a peccatis, verum etiam ingētia
pericula depellit.

H

Precationis ope multos, eosque fæuos inimicos effugit David.
Precatio cælestis armatura firmam custodiam præbet ihs, qui
se se Deo tradiderunt.

Precatio armatura inexpugnabilis, actutissimum nec vnu-
quam fallens munimentum, pari facilitate vnum repellens mi-
litem, & innumerabilia hostium milia.

Precationis ope Publicanus remissionem peccatorum impe-
trauit.

Precationis amor & studium vitam nostram continent, &
vbiique firmam reddunt, adeo ut absque illis nihil posit na-
bis contingere, quod ad salutem conducat.

Precationem caput honorum omnium, basim ac radicem
vitæ frugiferæ profitemur.

Precatione, ad assidue mœtē rigandā, non minus omnes opus
habemus, quam arbores aquarum humore.

Precibus si non irrigemur, non poterimus esse prætiosis pie-
tatis fructibus grauidi, quemadmodum nequeūt arbores fru-
ctus producere, nisi humorem radicibus bibant.

Nihil precatione ignita & syncera validius est: ipsa enim
& præsentia mala dissoluit, & a futuris pœnis eripit:

Vt igitur, & præsentē vitam facilius transfigamus, & ad
iudiciū fidentius migremus, multo studio alacritateque sedu-
la precibus vacemus: Nam sic & reposita bona obtinere po-
terimus, quæ nobis omnibus per misericordiam suam concedet
Dominus Iesu Christus, cui cum patre & sancto Spiritu sit
gloria, imperium & honor in secula seculorū Amen.

Ad D. Antonium de Monceaux
genere, animo & moribus nobilissimum Ioannis
Altimontani Bellouaci.

322.

Epigramma.

PHœbei foribus radientis lumine templi
Hærebant formis lucida scripta tribus:
Nosce tuos mores. Ne quid nimis, Abstine & vsque
Sustineas. O quam lucida scripta forent.
His tamen est maior tua virtus, vita celebris
His longè multo nobiliora parat.
Nobilis es non abs re igitur Frigilla decorat
Isto te dono: nobile munus adest.
Efficiet cœli summam qui dirigit arcem,
Nos sic æternos viuere posse dies.
Quo duce perpetua (ast mortalia nulla) loquemur:
Æternum nostro profluet ore melos.
Hunc ergo agnoscas quem Pallas lactat in æuum:
Qui semper flagrat nobilitate frui.

Ad eruditissimum benevolumque suum præceptorem
D. Matthæum Frigillanum virum planè phi-
losophum Francisci Corsini discipuli sui

Epigramma.

QVam meritas grates debet studiosa iuuentus
Nunc tibi, quod Sophiæ dulcia prata riges:
H ij

Dogmata Philosophi tradens diuina Platonis,
Cum queis ingenium iungitur omne tuum:
Indicat in primis doctus tuus iste libellus,
Summum quo fructum quisquis habere potest:
Nam quod de sacro sumpsiisti semine campo,
Tuiuueneis animos instruis, atque doces:
Vnde pede hoc pergas, magnus concedat Apollo:
Perpetuo ut volites docta per ora virum.

Aliud ad eundem

Si nunc totius sophiae qui dictus Homerus
Linqueret Elysios, lethiferosque locos:
Nec lachesis, Atrops, tum denique ferrea Clotho
Neuissent dira stamina pulla manu:
Tescium ac primum certe numeraret amicum,
Propositum cunctis discipulisque suis,
Quod tu diuine solus sua schemata tradis,
Turbaque sit iuuenum docta labore tuo.

Aliud ad eundem

Tot tibi debentur laudes, o nostra frigilla,
Quot tenues profert terra cylissa crocos,
Totque tibi tradit (Musis deuota iuuentus
Cæcropiis) grates, quot tua fama meret.
Nam veluti flores multi nascuntur in Hybla:
Sic (ut apis fugax) tot modo mella pluis.
Atque ideo præceps rapidum transcendit Olympum:
Gloria, honore tuo, cæli ac regna petens.



DE IIS, QVAE AD AR-
TEM TOPICAM PERTINENT,
confessionis, inter Aristotelem & Ciceronem philo-
sophiae & eloquentiæ viros principes, compen-
diosa explicatio, ex qua studiosus lector
deprehendere poterit, de re topica
nihil esse Ciceronianum,
quod prius non fuerit
Aristoteleum.



Studioſo Lectori.

QUoniam a viris plerisque ſcientia an ignoratione, non ſatis
affequor, in controuerſiam vocatum eſt, an quae a Cicerone
de arte topica tradita ſunt, ex illis Aristotelis topicis, quae ad
nos peruerunt, deſumpta videri poſſent, existimarent alij
philosophi non omnino alienum a philosophico & beneuolo
animo, ſi ſtudioſam iuuentutem illo ſcrupulo liberarent. ingra-
ta non erit opera, cuius finis non alius, quam ſtudioſi utilitas,
& bona eruditio. *Bene Vale.*

DE RE TOPICA CON-

324.

sensio inter græcam philosophiam & latinam
eloquentiam

Artis topicæ, quæ argumētorū ex locis est mater fœcundissima, usus spectatur in examinanda & euoluēda omni quæstione proposita, in qua fere queritur genus, definitio, proprium, vel accidens. Materia hæc Ciceroni nominatur totum de quo differitur. Dissertatio non omnino imprudēter tractatur, si tum insita, tum assumpta argumenta adhibeantur, quorum, post Aristotelē 2. Rethoricorū ad Theodectem, & libris Topicorum, duo genera agnoscit Cicero in partitionibus: quædam vera & plane dialectica, quædam quasi vera & apparentia, quæ & rhetorica & sophistica dici possunt.

Quæ vere insita sunt, Arist. artificiosa vocantur, quorum duo sunt genera, quædam omnino & perfecte, quædam imperfecte rem seu quæstionem, de qua differitur, attingunt.

Perfecte quidem Definitio, partium enumeratio, & notatio verbi: Imperfecte vero & quadam ex parte, ea tredecim, quæ quodammodo affecta sunt ad quæstionem propositam, seu ad id totum de quo differitur. Si Aristoteli fidem habeamus, artem definiendi primus aliquam esse existimauit Socrates, eamque docendo & differendo usurpareit. Eius inscitiam plerisque sui seculi Sophistis obiecit. Præcepta nulla tradidit. Eorum collectionem & reuocationem ad artē Aristoteli, tanquam philosophorum antistiti, acceptā ferre debemus, De qua multa 6. & 7. top. Multa posteriore libro de Demonstratione. Accuratoriā 7. libro prīmæ philosophiæ.

Definitio, qua per se noscitur, & quid sit intelligitur res quævis, & per quam deinde reliqua omnia, quæ ad definitam rem proprie pertinent cognosci possunt & demonstrari, Aristoteli primo topicorum, est oratio, quæ id, quod definitur, explicat quid sit: Ciceroni primo de oratore, eius rei, quam definire volumus, breuis & circumscripta explicatio: libro de claris oratoribus Oratio, quæ, quid sit id de quo agitur, ostēdit quam breuissime. Locum a definitione iudicant eruditiores desumptum ex 2. topicorum: vbi Aristotelis præceptio sic habet. Alius locus dicitur ex definitione accidentis & rei, cui id accedit, vel utriusque, vel alterius, in quo id considerandum est nunquid in definitionibus non verum pro vero sumptum sit: verbi gratia, si iniuriam facere est spōte nocere: Deus iniuriam non facit, quia nocere non potest. Usus enumerationis partium apud Aristotelem 2. top. ita explicatum reperies. Alius locus est ut singula persequēdo videoas idne, quod.

dictum, in totum genus cadat, an in partem nullam, Initium autem a pri-
mis faciendum est deinde usque ad individua progrediendum. De loco
ex nominis notatione haec Aristoteles eodem libro. Atque etiam argu-
mentum ducendum est ex notatione verbi, quae multo aptius videatur
vim verbi explicare, quam id ipsum, quod ad significandum est imposi-
tum, Vt si $\omega\psi\chi\sigma$ dicas eum, qui bene animo sit affectus.

Alij tredecim loci a Cicerone dicuntur quodammodo affecti ad id de
quo quaeritur, partim quia non perfectam rei propositae consignationem
habent: partim quia sunt $\alpha\tau\tau\alpha\sigma\gamma\sigma\tau\alpha$, id est, positi in comparatione & rela-
tione ad alterum, quos omnes etiam ex Aristotelis Lycio de promptos,
ordine docere conabimur, si prius, tu studiose lector, diligentius obser-
uaueris, Ciceronis illud fuisse ingenium, illamque prudentiam, ut quae a
Græcis acceperat, interdum copiose, interdum compendiose tractaret:
hoc siue illud consilium sequeretur, semper meliora effecisse, quia sa-
tis infans erat Philosophia. Perturbatum ordinem in tractatione loco-
rum Aristotelis, Ciceronis ordinem magis alienum a confusione: attamen
ut iam monui, in re topica nihil esse Ciceronianum, quod prius non a-
gnouerit Aristotelis inambulationem.

De coniugatis, quibus inter affecta datus est primus locus, quia viden-
tur rem maxime attingere, si modo eorum duos ordines constitueris.
Nam, si simpliciter tractentur, non satis habent virium ad concluden-
dum, haec secundo Topicorum Aristoteles. Rursum a coniugatis & ca-
sibus ducendum est argumentum, siue confirmemus, siue refellamus.
Estque hic locus maximè communis & accommodatissimus ad differen-
tium, quoniam nullum pene genus est questionis, quod eius beneficio,
examinari non possit. Tractatio constans talis est. Si iustitia est honestas,
iusta actio est honesta, & iuste agere est honeste agere, licetque uti reci-
procatione: at non liceret, si tractarentur simpli citer.

Genus Ciceroni primo de Oratore, dicitur, quod sui similes communio-
ne quadam, specie autem differentes, duas aut plures complectitur par-
tes. Consimilis circumscripicio est apud Aristotelem I. top. Totus 4. li-
ber est de natura & usu generis: Attamen videtur Cicero huc locum gene-
re exz, mutuatus: ubi Aristotelis haec preceptio traditur. Quoniam autem
necessitatem est in quibus genus dicitur, in iis speciem aliquam dici, & quæcum
que genus habet, aut quae a genere nomen duxerunt, eadē aliquam speciem
habere, aut nomen ab aliqua specie ducere. Atque hic locus utilis est &
ad confirmandum, & ad refellendum: quem maximè copiosum, doctio-
res Arist. expositores, a genere & specie: Item a genere subiecto & a
specie subiecta nominant. Ex genere refellimus, ex specie confirmamus.

Hæc pauca dum Typis mandabantur, venerunt in manus nostras vi-
tri Hyspalensis doctissimi eadem de re quædam scripta, quorum doctrinæ
amplitudo statim persuasit ab incepto desistendum, neque post tantum
virum idem argumentum tractandum. Omnia æqui bonique consulens
studiosus lector. Nos non deterrebit Zoili virulenta lingua.

F I N I S.